ANALECTA ORIENTALIA

AD

POETICAM ARISTOTELEAM

EDIDIT

D. MARGOLIOUTH

M. A., COLLEGI B. MARIÆ AP OXONIENSES SOCIUS

LONDINI

D. NUTT, 270 STRAND

1887

TYPIS GUILIELMI DRUGULINI LIPSIENSIS.

SCHOLARIBUS NOVI COLLEGI

CUM EA QUA PAR EST MODESTIA

DEDICAT

EDITOR

PRAEFATIO.

Initium fuit huius opusculi brevis annotatio in)eticam quam ex Codice Parisino 882 A hauserat editor. d nemini fidem facturus si inediti codicis testimonia tulisset, auctoribus amicis, experimentum edendi facien-m duxit, non veritus, si qui spectatior auctor linguarum :aecae Syriacae Arabicae idem consilium cepisset, ne a opella illius luminibus officeret. Apographum Parisini)dicis cum fecisset et cum archetypo contulisset, dili-nter cum Averroe Lasiniano comparavit; ut tandem quantulum in eo videre visus est, Lutetiam reversus rum ad verbum cum codice exegit. Artes quoque vicennae et Barhebraei quae nonnihil ipsi profuerant, os peritius adhibituros esse ratus, simul communicare tuit.

Adiutum se ab amicis multifariam laetus profitetur; orum princeps exstitit A. Neubauer, decus Academiae coniensis, literarum Orientalium praesidium, totam ellam singulari benevolentia prosecutus; neque mini-m eius beneficiorum quod ab eo rogatus plagulas Bar-braei perlegit R. Duval, grammaticae Syriacae floren-

tissimus auctor; cuius docta ac perita manu multi errores editoris abstersi, nonnulli codicis feliciter emendati. — Quod si qui restant (et multos effudisse verisimile est editoris imperitiam et tirocinium), spes est non defore qui corrigant et castigent.

Grato animo commemorare iuvat officia virorum doctorum qui Bibliothecis praesunt, unde haec deprompta sunt; et singularia quidem R. Rost Praefecti Bibliothecae Indici 'Αρχείου, C. Annerstedt Upsalensi, E. B. Nicholson Bodleianae.

Quod si viri docti nostram opellam non improbaverint, vel (quod multo magis optandum est) quibus potissimum vitiis laboret, et quas mutationes passa studiis Aristotelicis et Orientalibus magis profutura fuerit, indicaverint, DEI O. M. infinita misericordia otium et valetudinem largiente, ut primum per alia opuscula licuerit, ad Rhetoricam accingemur.

CONSPECTUS RERUM.

A. Sinistrorsum evolvendae:

B. Dextrorsum evolvendae:

---

a) **Lector modeste rogatur ut menda quae hic notantur ante usum libri corrigere velit.**

I.

Historiae Analectorum Adumbratio.

§ 1. Poetica apud Orientales Logices Aristoteleae octava, vel, adiectā Isagogā Porphyrii, nona pars recensebatur.[a]) Ad id genus pertinentia tria scripta Aristotelis in Canone Arabico Ptolemaei quem descripsit Ibn Abi Uṣeibiʿa exhibentur:

---

a) Al-Farabi apud Ibn Abi Uṣeibiʿa (ed. A. Müller, 1, 58; ut opinor, in libro فى أغراض ارسطوطاليس فى كل واحد من كتبه) *Logices* inquit *Aristoteles octo partes fecit singulis libris; quorum octavus regulas complectitur quibus explorantur* [ex emendatione Mülleri] *carmina, ordines vocabulorum poeticorum, factorum, classes rerum factarum* [ποιουμένων] *singillatim; item in eo recensentur omnes res quibus componitur ars poetica, quot genera habeat, quot genera sint carminum et vocabulorum poeticorum, quomodo unumquodque fiat, et ex quibus partibus; quibus rebus componatur, vel pulcra, elegans, habilis fiat; quem statum ubi habeat, finem et summum attingat. Hic liber Graece* Poetica *appellatur* q. e. Liber carminis. Insignem locum Ibn Khalduni (Notices et Extraits 18, 111) statim exscribemus. Hic quum octo partes commemorasset (p. 110), continuo novem attulit. Quem errorem animadvertit v. cl. Quatremère.

7. *Liber de Poetis: tria capita;*

23. *Liber de arte Poetica secundum disciplinam Pythagorae: duo capita;*

37. *Liber de arte Poetica: duo capita.*

Sed ex his omnibus, unum tantummodo, quod ad nos quoque, ad Syros devenisse traditur, nactum interpretem; quod *Disputationem de Poetica sive Carmine* appellat auctor Kitābu 'lfihrist,[a]) a bibliographis reliquis exscriptus. Queritur tamen Avicenna,[b]) qui tamen eundem librum habuit quem nostrae editiones ex unico codice propagant, *non integrum opus in sua regione inveniri, sed deesse bonam partem;* cui calculum suum, ut solet, adicit Barhebraeus,[c]) de mole exemplaris Syriaci non malus auctor. Temere ex hoc dicto collegeris uberiorem Poeticam alicubi in undecimo saeculo servatam fuisse; quamquam aura non mendacis famae ad Avicennae aures mutilum esse librum detulerat. Quod vero nomen interpreti Syro fuerit non videtur comperisse conditor Kitābu 'lfihrist; sed eruit v. d. Leclerc[d]) locum satis notabilem Ibn Abi Uṣeibi'ae[e]) in Vita Alexandri Aphrodisiensis, unde Philosophum celeberrimum Honeinum Isaaci f. hoc munere functum esse discimus; nam in recensione scriptorum ipsius Honeini Kitābu 'lfihrist (unde Ibn Abi Uṣeibi'a in vita eius pendet) quae ille Arabice vel Syriace verterat propter multitudinem consulto praeterit.

---

a) P. 250 ed. Flügel. b) P. 216a. c) Ad calcem Summae. d) Histoire de la Médécine Arabe 1, 206. e) 1, 70,3.

In eo loco tradit Abu Zacharia *se petiisse ab Abrahamo ibn ʿAbdi ʾllāh textum Sophisticae, textum Rhetoricae, textum Poeticae* secundum versionem Honeini *L Denariis; illum vero noluisse vendere sed inflammasse libros tempore mortis suae.* Syriaco sermone factam fuisse illam versionem non audimus; sed illud vir doctissimus non temere videtur posuisse. Huius loci (an alius?) memor ASSEMANNUS cum Catalogum Bibliothecae Mediceae Palatinae conderet, Codicem CLXXIX *Honeini Philosophiae Syriacae partem quartam* Poeticam *complexam* continere rettulit; quam notitiam viri docti de his rebus scribentes, WENRICH in egregia Dissertatione,[a]) v. cl. WÜSTENFELD in *Historia medicorum Arabum*[b]) receperunt; falsam esse primus deprehendit princeps literarum saeculi nostri RENAN,[c]) nos vero qui illum codicem versavimus, atque adeo exscriptum edidimus, confirmare possumus.[d]) Non exstat in Bibliotheca Medicea versio Honeini, neque usquam gentium, quod sciam; neque nisi se unicum possidere exemplar eius operis credidisset Abrahamus ibn ʿAbdi ʾllāh, inflammaturum fuisse

a) P. 129: Artis rhetoricae atque poeticae versionem Syriacam in Bibliotheca med. laur. adservari, iam superius monitum fuit. Huius versionis auctor quisnam fuerit, non constat. b) P. 29. c) De Philosophia Peripatetica, p. 66. Eiusdem notae est quod refert idem Cod. CXCVI (p. 337) nescio quem *Ordinem Librorum* et *Indicem Scriptorum* complecti. d) Non tamen fidem fecit v. d. SPENGELIO in Censura Vahlenianae (p. 6).

arbitror, sane ausum quod tunica liceat punire molesta; neque tanto pretio liciturum fuisse credo Abu Zachariam, si alibi comparare potuisset. Hoc ergo indicio nisus, versionis illius Syriacae quam et Abu Zacharia et prior illo Abu Bashar Matthaeus Arabice verterunt conditorem fuisse Honeinum non temere negaveris: quicum alia nonnulla concinunt. Quorum primum est quod nomen interpretis quem Abu Bashar et Abu Zacharia secuti erant neque conditor Kitābu 'lfihrist neque Parisini Codicis[a]) auctor compertum habent; atqui si Honein ibn Isḥāq fuisset, viri laudatissimi, ut ad eum ψευδεπίγραφα multa referrentur,[b]) aegre delituisset. Neque minus impedit quominus Honeinum ab Abu Bashare versum fuisse existimemus, egregia Graeci sermonis peritia quae in Honeino fuisse traditur.[c]) Utique, qui terras Graeco-Romanas peragrasset studio librorum Graecorum colligendorum, quid esset Tragoedia, non potuit prorsus ignorare. Quod si non fuit Honein, quis fuerit, libera est coniectatio.[d])

---

a) Vide infra. b) Barhebraeus Chron. Syr., p. 170 ult. c) Ibn Abi Uṣeibiʿa 1, 186 *fuit Honeinus* inquit *peritissimus saeculi sui Graece Syriace Persice.* Quum monstrata esset Ioanni praeceptori eius versio Honeiniana nescio cuius Graeci libri, rogavit *utrum* Christus *illam versionem caelitus demisisset?* Quod quum alter negasset, *utique* inquit *auxilio* Spiritus Sancti *facta est ista translatio.*

d) Falsum est quod tradit incertus in Cod. Mus. Brit. Add. 23, 365 Honeinum fuisse اوّل من فسّر اللغة اليونانيّة ونقلها الى السريانيّة والعربيّة *primum qui linguam Graecam*

Christianum fuisse et propter alia certissimum est, neque desunt eius rei in ipso libro indicia; cuius modi est quod ὑποκριτάς noto Syrismo (vel Hebraismo) *captatores vultuum* facit, ex Novo Fœdere probe, credo, cognitos; nec non (fortasse) quod Ulyssem *Sanctum Euangelistam* nominat, nisi hoc potius ad stuporem Abu Basharis referendum est.

Huius ergo Philosophi Anonymi interpretatio integra, si Catalogis et Bibliographis fides, non videtur aetatem tulisse. *Fragmentum* tamen pro mole libelli satis longum apud Severum Takritensem in Encyclopaedia servari animadvertit v. amplissimus Payne Smith in Catalogo Codicum Syriacorum Bibliothecae Bodleianae,[a] Codicem Marsh. 528 qui illum librum continet, describens. Eiusdem operis Indice carens exemplar in Museo Britannico servatur (Add. 21, 454), a Wrightio v. cl. descriptum.[b] De hoc Severo sive Iacobo luculentus est locus Lagardii in Symmictis (1, 106) fragmenta quaedam Syriaci Homeri, pretiosissimi operis, ex eo afferentis, et editorem Encyclopaediae sive se ipsum profitentis, sive fore omnino pollicentis et vaticinantis; idem obiisse hominem

---

interpretaretur et in Syriacam et Arabicam verteret. Hunc honorem dat Sergio Resainensi cum Barhebraeo et Ibn Abi Uṣeibiʿa Assemannus Bibl. Or. 3, 1,87.

a) "Quo insunt multa ex Aristotele." Quam notitiam non debuit transire is qui Indicem eius libri condidit.
b) Catal. 3, 1165.

A. S. 1230 refert.[a]) Fragmentum, quod ad calcem Abu Basharis imprimendum curavi, Definitionem Tragoediae integram complectitur, aliorum definitionibus infertam. Pressura mea Codicem Britannicum sequitur; varietatem Bodleiani margini allevi, resecta tamen mole punctorum quibus, utpote recentior, abundat, ne typographis molestias facesserent, lectori nihil profutura. Quod praeterea in Encyclopaedia ad Aristotelis Poeticam pertineret, non animadverti.

Fragmentum de indole versionis Syriacae non pauca docet, vel potius opinionem ex Abu Basharis versione conceptam stabilit. Scilicet quum triplex fuisse genus interpretum Syrorum v. d. RYSSEL[b]) statuerit, hic ex iis fuisse censendus est qui ad verbum auctores suos reddiderunt.[c]) Plerumque enim ordo verborum Graecus fidelissime servatur, qui etiam in Arabica versione persaepe nullam mutationem passus est. Quamquam illa accurata diligentia vertendi non nimis in ullo genere interpretum urguenda est; sed

---

a) Multo copiosius de eo disserit vir meritissimus Rev. P. MARTIN Abhandlungen für die Kunde des Morgenlandes 7, 2 qui negat eum iure *Takritensem* appellari, quippe qui Takriti nec natus esset, neque episcopus unquam fuerit. Idem v. d. Poetices editionem aliquando promiserat (in membrana Grammatices Barhebraei). b) Über den textkritischen Werth der Syrischen Übersetzungen u. s. w. 2, 1; Untersuchungen über die Textgestalt u. s. w. des Buches Micha 1. c) Quemadmodum negat Sergius (LAGARDII Anal. 134, 25) se quidquam addidisse aut dempsisse auctori suo.

potius quomodo Wellhausen v. cl. in prooemio ad Libros Samuelis indicavit, iudicanda; quamquam paullum diversa est ratio in sacro scriptore. Ergo quod pro verbis *περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν* ille haec habet *temperans passiones*[a]), *et faciens purgationem eorum qui patiuntur*, non idcirco circumspiciendum est ne forte Graecae scripturae aliquid desit, sed hoc exemplo freti eo fidentius, ubi Syrus deficit, emblemata Arabicae versionis auctoribus suis reddemus.

Illud praeterea discimus, Graeca verba Syrum plerumque servasse literatura mutata, v. c. *Tragoedia, Comoedia, Harmonia.* Hoc quidem satis prudenter; melius fecisset, si vi eorum verborum explorata, notulis quid valerent indicasset. Quod quia omiserat, qui sequebantur ex ipsa Poetica, h. e. ex turbido lacu Abu Basharis eam vim expiscabantur, ut quibus Arabica tantum carmina, h. e. lyrica poematia, nota essent, coniectura plerumque casuri. Inde lepidus ille carminum Graecorum catalogus, quem Avicenna ad calcem primi capitis proposuit. Praeterea in vocabulis deligendis quae mutuaretur non semper fortuna Syrum nostrum secuta est. Est ubi communia pro propriis habeat, v. c. *φορτική* (1461b 28); unde *Phortica* inter genera carminum apud Orientales recensita, casu quidem ab Avicenna omissa, sed hoc damnum Barhebraeus resarcivit. Aliquanto saepius propria tam-

---

a) Memor sit lector et hic et alibi dicti Ciceroniani: *novis rebus nova verba.*

quam communia reddit; Ἀγάθων in tot mentionibus plerumque tamquam ἀγαθῶν vertitur, semel effugit non propria virtute, sed quia quod sequebatur τοῦ τοιούτου corruptela τοῦ ποιητοῦ auctum fuerat. Semel in hoc homine duos parietes, ut aiunt, eādem fideliā dealbavit; nam quum scriptum esset (1451b 21) οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει *sicut in Agathonis Flore*, ille οἷον ἓν τὸ ἀγαθὸν ὃς ἂν θῇ legit, *quemadmodum si quis unum esse bonum statuit.* Mirari licet ingenium Avicennae (sive Al-Kindii), qui Platonicam *ideam boni* respici suspicatus sit, Barhebraeo et Averroi rem acu tetigisse visus. Non dissimile fatum Carcini, tamquam unius *cancri* ad ordinem redacti; sustulit Averroes, in astronomicon poema conversum.

Notandum est praeterea levibus corruptelis abundasse Graecam scripturam quam Syrus sequebatur; nisi potius hoc sic iudicandum est, ante typographicam artem inventam ut quisque peritia legendi polleret, codicibus corruptis vel castigatis usum esse. Persaepe Δ et A et Λ commixtae sunt, v. c. AEI cum ΔEI, IΛION cum IΔION et sim. Quod ad casus verborum et nominum et sim. attinet, non ubique decreveris utrum codex Syri an ingenium peccarit. Nam qui initio fragmenti χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν *sine generibus singulis* verterit, sententia funditus pessumdata; eum ubi δι' ἀπαγγελίας *per pollicitationem*, διὰ μέτρων *propter metra* valere facit, non continuo collegeris ΔΙΕΠΑΓΓΕΛΙΑΣ et ΔΙΑ ΜΕΤΡΑ legisse. Turpiter factum quod in (1450b 27) τελευτὴ δ' ὃ αὐτὸ μετ' ἄλλο πέφυκεν εἶναι sibi visus est videre μετ' ἄλλου, *finemque* non semel

id quod cum alio necessario existat facit; quod delirium reliqui quidem taciti accipiunt, Barhebraeus singulari laude mactandus est, quod verba sibi dari non est passus. — Has ego leviores corruptelas, quae Graecae scripturae nullo pacto prodesse possunt, in margine Abu Basharis, si quas animadverti, verbo indicavi; in qua ratione obsequi mihi videbar (ut in tali opere) iis quae v. cl. G. C. Cobet in Collectaneis Criticis monuerat.[a])

Aliud est genus errorum qui in scripturam Syriacam irrepserant, antequam Arabs interpres eam aggressus est. Eorum quo quisque peritior est Syriacae interpretationis, eo plures deprehendet; ego me celeberrima quaeque tantummodo indagasse reor, eaque margini allevi. Huiusmodi est quod δοῦλος per *opus* repraesentatur, μεταβολαί per *facientes*, μέν per *quicunque* vel *de;* quibuscum quae conferat, is qui tenuem notitiam *Simplicis Versionis* tenet, affatim habebit. Illud mihi placuisse fateor quod quum Syrus verba philosophi (1454b 24) τὰ περιδέρεια . . . ἐν τῇ Τυροῖ satis recte *torquem in Turo* vertisset, quia id Syriace *torquem in colle* sonabat,[b]) quemadmodum unus quisque nostrum, si hoc ipsum videret, statim *in collo*

---

a) Pp. VI, VII; "omnis huiuscemodi lectionum discrepantia, quae *videtur* esse, sed nulla est, abiicienda et respuenda." "Estne Codicibus opus ut . . liquido sciamus utrum οὔ τοι an οὔ τι scribendum sit," etc.
b) Quamquam Barhebraeus in Grammatica (ed. Martin, 1, ο, hoc ipsum *Turo* in exemplis nominum muliebrium affert.

rescriberet, sic acutulus nescio quis pro illo *Turo* una literula mutata *Ṣauro* eādem vi dedit.

§ 2. Non abhorruisse Syrorum ingenium a studio Poetices verisimile est; quamquam ex testimoniis quae affert Assemannus[a]) super studiis illorum non est vetustius Barhebraeo quod eius rei mentionem habeat. Primus tamen Poeticam Syriacam aggressus esse videtur celeberrimus Medicorum Abu Iusuf Ia'qub Al-Kindi quem v. d. Wüstenfeld[b]) a. s. 873 obiisse statuit. De hoc viro singularis extat liber v. d. Flügel, multisque annis vetustior dissertatio Lakemacheri. Opus de Poetica plerumque *Summa*[c]) vocatur, semel[d]) *Opusculum* sive *Epistola de Arte Poetica,* siquidem de eodem opere agitur, quod mihi quidem probabile videtur;[e]) quamquam, si res ita se habet, improbanda est inconstantia Bibliographi, Poeticam Aristotelis ex *Logicis* eius, Al-Kindii ex *Musicis* numerantis. Hanc epistolam graviter desiderans in nullo Catalogo invenire potui; quamquam mihi vir gravissimae auctoritatis se illum librum apud Indos vidisse credere tradidit. Causa desiderii quod nisi illo invento interpretatio Poeticae quae apud Orientales obtinuit, prava illa et praepostera, sed nescio quo pacto sibi ipsa constans,

a) Bibl. Or. 3, 2, 938. b) Geschichte der Arabischen Ärzte, p. 22. c) اختصار Kitābu 'lfihrist, p. 250,5; item qui illum librum exscripsere. d) Ibid., p. 257,6. e) Quemadmodum in Indice librorum Kindii Logicorum (p. 256, 15) *summa* et *epistola* eandem vim habere videntur.

ex quo fonte hausta sit, certe statui non potest. Quid quod ne illud quidem, si quid video, satis constat, utrum Aristotelei operis summam an Commentarii Themistiani sive Pseudo-Themistiani Al-Kindius scripserit; nam verba Bibliographi eius unde pendent reliqui in utramque partem interpretari licet.

Sequitur Al-Kindium ABU BASHAR[a]) MATTHAEUS IONAE F. QONNAENSIS cuius *Versionem Arabicam* Syriacae versionis longo tempore desideratam nos tandem non tam ex sententia edimus quam ne prorsus lateat proviso, ut olim peritior editor aggrediatur, optamus. In quo viro paullisper morari placet, dum primum de ipso, deinde de Parisino Codice, postremo de ratione eius pauca quaedam nec recondita depromimus. Permiro errore is qui indicem Parisini libri fecit *Ioannem ibn ʿAdī* interpretem appellavit; quod fraudem fecit WENRICO, et, quod mireris, ZENKERO[b]) qui ipse codicem versavit; correxit RENAN, neque tamen fidem fecit.

Vitam Abu Basharis narrat ABULPHARAGIUS in Hist. Dynastiarum ed. POCOCKE, p. 304; Latine vertit v. cl. POCOCKE ibid. p. 200 Vers. Lat., ab ASSEMANNO descriptus Bibl. Or. 3, 1, 517:

"*Fuit Baghdadi in Khalifatu Arraḍii post annum* CCCXX (932) *et ante* CCCXXX (941) *Matthaeus*

---

a) Abu Bishr appellat v. d. FLÜGEL in Indice Haǵi Khalifae, plerique, ut opinor, quomodo scripsi, scribunt. Biographorum et Bibliographorum ne unus quidem, quod sciam, qui litem hanc decernas, praestat. b) Categoriis, ad calcem Praefationis.

quam communia reddit; Ἀγάθων in tot mentionibus plerumque tamquam ἀγαθῶν vertitur, semel effugit non propria virtute, sed quia quod sequebatur τοῦ τοιούτου corruptela τοῦ ποιητοῦ auctum fuerat. Semel in hoc homine duos parietes, ut aiunt, eādem fideliā dealbavit; nam quum scriptum esset (1451 b 21) οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει *sicut in Agathonis Flore*, ille οἷον ἓν τὸ ἀγαθὸν ὃς ἂν θῇ legit, *quemadmodum si quis unum esse bonum statuit.* Mirari licet ingenium Avicennae (sive Al-Kindii), qui Platonicam *ideam boni* respici suspicatus sit, Barhebraeo et Averroi rem acu tetigisse visus. Non dissimile fatum Carcini, tamquam unius *cancri* ad ordinem redacti; sustulit Averroes, in astronomicon poema conversum.

Notandum est praeterea levibus corruptelis abundasse Graecam scripturam quam Syrus sequebatur; nisi potius hoc sic iudicandum est, ante typographicam artem inventam ut quisque peritia legendi polleret, codicibus corruptis vel castigatis usum esse. Persaepe Δ et A et Λ commixtae sunt, v. c. AEI cum ΔEI, IΛION cum IΔION et sim. Quod ad casus verborum et nominum et sim. attinet, non ubique decreveris utrum codex Syri an ingenium peccarit. Nam qui initio fragmenti χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν *sine generibus singulis* verterit, sententia funditus pessumdata; eum ubi δι' ἀπαγγελίας *per pollicitationem*, διὰ μέτρων *propter metra* valere facit, non continuo collegeris ΔΙΕΠΑΓΓΕΛΙΑΣ et ΔΙΑ ΜΕΤΡΑ legisse. Turpiter factum quod in (1450 b 27) τελευτὴ δ' ὃ αὐτὸ μετ' ἄλλο πέφυκεν εἶναι sibi visus est videre μετ' ἄλλου, *finemque* non semel

f.: philosophus celeberrimus, senex grandis natu; qui docebat homines Logicam. Florebat tum temporum clara fama, et rumore celebri; celebrabant coetum eius quotidie sescenti homines Logicae studiosi; quibus legebat librum Aristotelis de Logica, cuius interpretationem discipulis suis describendam tradebat. Inde descripti sunt de interpretatione Logicae LXX libri.[a]) *Habuit neminem parem eo tempore in genere suo. Pulcro stilo utebatur in libris suis, et subtilitate indicandi; adhibebat in operibus ubertatem et copiam verborum. Dixit nescio quis eorum qui hanc partem doctrinae tenent: "Non opinor Abu Naṣr* (Alfarabium) *artem difficillima quaeque simplicibus verbis explicandi*[b]) *ab alio quam Abu Bashar cepisse" cum virum supra memoratum significaret.*

Incertus auctor in Cod. Brit. Mus. Add. 23, 365 peripateticas quasdam sententias ei tribuit.

Annumerat praeceptoribus eius Conditor Kitābu 'lfihrist[c]) Quvairi et Abu Aḥmada bn Kirnīb; de utroque paucis disserit idem. Addit Ibn Abi Uṣeibi'a[d]) Abu Iaḥya 'l-Marvazī *qui fuit medicus clarissimus Baghdadi, peritissimus scientiae, quem audiit Abu Bashar Ionani f.; praestans vir Syrus erat. Ergo opera eius omnia de Logica deque rebus aliis Syriace scripta sunt.*

Haec quoque tradit idem de cursu studiorum eius:[e]) *didicit Abu Bashar Matthaeus ab Ibrahīmu*

---

a) Arabice: فكتب عنه فى شرحه سبعون سفرا; si emendaveris سبعين verba sic interpretari licebit ut interpretatur v. cl. De Slane (Vers. Angl. 3,307). b) L. تفهيم pro تفهم? c) P. 263. d) 1, 234. e) In vita Alfarabii 2,135.

'l-Marvazī, obiit vero sub Khalifatu Rāḍii, inter annos CCCXXIII *et* CCCXXIX; *didicerant vero Ioannes Ibn Ḥaibān et Ibrahīmu 'lMarvazī ambo ab homine quodam Mervensi. Refert v. d. Abu Suleimān Moḥammadu bn Ṭāhiri bn Bahrām Sigistānensis in* GLOSSIS *narrasse sibi Iaḥyam ben 'Adī legisse Matthaeum* ISAGOGAM *cum Christiano quodam,* CATEGORIAS *et* DE INTERPRETATIONE *cum homine qui appellabatur Rupilius,* LIBRUM SYLLOGISMI *cum Abu Iaḥya 'l-Marvazī.* Factum male quod celavit Suleimān ille sive Iaḥyā quocum Poeticam legisset.

Codex Parisinus insignis est ille 882 A ('Ancien Fonds Arabe') de quo dixere multi, accuratissime vero RENAN l. c. p. 61. Nihil fere ex eo thesauro quod sciam lucem adhuc vidit, praeter *Categorias* a v. d. ZENKERO a. 1846 editas. Forma Codicis est maxima, manus multae; adeo recte observavit ZENKER[a]) fasciculos alium alio tempore fuisse scriptos; ut notitiam illam qua Codex anno Sal. 1024 correctus fuisse traditur, nonnisi ad illam partem (Rhetoricam, ut opinor) ad cuius calcem posita est, referre liceat. Tamen nullum fasciculum saec. XI initio recentiorem esse et manus et charta arguunt. Quod vero v. d. queritur parum facilem esse ad legendum eam manum quae Categorias scripsit, id in Poeticam multo magis cadit. Vir ille doctissimus cuius editionem optatissimam huius libelli multos annos expectamus apud VAHLENUM *evanidam* scripturam appellat. Puncta quibus literae distinguantur

a) L. c. p. V.

perraro appicta; literarum ل et ك, item ﻧ et ﻫ (h. e. ﻴ vel ﺗ vel ﺛ vel ﻧ vel ﻳ) paene inextricabilis confusio; nullā nota finales ن et ر distinxeris, nullā ر et ى. Ridiculus forem si mihi peritiam rei palaeographicae, praesertim Arabicae, arrogarem; tamen permultis codicibus versatis, nihil vidi quod perinde molestias legenti facesseret. Itaque cum circumspicerem cum amicis quae ratio edendi, dum temeritatis crimen effugere conatur, in lectoris commoda non admodum peccatura esset, convenit, ubi liqueret, ibi puncta appingi; ubi res dubia esset, ea vel omnino non apponere, vel non clam lectore apponenda curare. Plerumque enim rem certissimam esse, ut ei qui usum codicum habeat nihil intersit utrum ىلىه an ثلثة, ىس an بين, ىطى an يظنّ scribatur. Neque tamen eo audaciae processissem, nisi Commentarius Averrois peritissime a v. d. Lasinio editus, et Summae Avicennaeae quattuor accurata exemplaria persaepe dubium eximerent. Suasere amici ut specimen photographicā arte redditum volumini adicerem; idque volenti mihi erat; nisi pretium libelli sic quoque satis magnum futurum augere noluissem. Dedi operam tamen et paginis et versibus codicis enotatis ut unicuique reditus ad archetypum facillimus fieret.

Neminem fallet Codicem Parisinum, quo unico fonte utimur, foedissimis corruptelis scatere. Quippe ne nomen quidem scriptoris solita ratione exaratum est;[a]) neque scripto nomen suum datum, siquidem de

a) Solet scribi ارسطوطاليس; quia res levicula esse

Poetica agitur, non de *Poetis*;[a]) deest etiam Graecum vocabulum quo Opusculum apud Arabes insigniri solet.[b]) Nonnunquam suspicari soleo vetustius aliquod exemplar Carshunicis literis fuisse exaratum; proximum tamen Arabicā usum fuisse literatura noster codex clamat. Persaepe haeret librarius inter غير et عند; nonnunquam altero posito alterum superscribit; est ubi in ipsā oratione utrumque exaret; saepissime alterum cum altero mutat. Paene idem accidit in احد et اخر, quamquam horum mutatio rarior. Exempla suppeditabit annotatio. Non dissimile quod interpretamenta maioris molis partim superscripta sunt, partim in orationem irrepserunt; quorum alteris facile caruissemus, altera molestias facessunt. Loquitur Aristoteles (١٢, 36) de turpi quod non habet *difficultatem*, sive dolorem; *credo* inquit annotator *eum velle dicere impudicitiam* sive audaciam. Quod, ne quem fallat, bis ingerit. Paullo melioris notae sunt ea quae pp. ٥٢, ٥٣ leguntur; peioris coniecturae p. ١٢, α. — Omnia in margine rettuli.

---

videbatur, neque certa ratio in his nominibus servatur, credidimus licere nobis ارسطوطالس etiam paginis nostris superscribere.

a) Persaepe in Kitābu 'lfihrist eodem modo erratum esse animadvertunt doctissimi editores. Compendium scribendi quo utuntur Syri ܦܘܐܛܝܩܐ eundem errorem apud hos quoque genuit. Hoc e Florentino Codice apographo Barhebraei didici. b) Sc. ابويطيقا; saepe corruptum, foedissime vero apud Haği Khalifam.

Alterum genus interpolationum nonnunquam manifesto deprehenditur; quarum pars ab imperito homine, pars ab aliquo qui Syriacam versionem manu versabat, adiectae sunt. Vide mihi p. ۴۸, 32: *Ergo videtur* inquit *Homerus in hac re studiosus religionis fidei doctrinae; ab hac parte item videtur Homerus sequax fuisse fidei et addictus recto et indeflexo;* conieci in margine Syrum θεσμέσιος pro θεσπέσιος legisse; utut res se habeat, duplex Aristotelei loci interpretamentum exhiberi certo certius est. Tenemus similem interpolatorem p. ٢٢, 1, nisi fallor; *ut is qui res audiat*, inquit Abu Bashar *contremiscat;* sed quia utrum *contremiscat* legas an *desinat* inde pendet utra duarum literarum punctulo notetur, ignosceres ei qui *desinat* legisset; nolles eundem *et finiat* allevisse idque in oratione Aristotelis legi. Huc fortasse aliqua ex parte pertinet quod in hac versione Abu Basharis omnino insigne videtur, quoties binis vel ternis συνωνύμοις Arabicis Graeca verba repraesententur. Ipsum illud μιμεῖσθαι quod centies occurrit, perraro nisi ambobus *imitari et simulare* redditur; tertium vocabulum,[a]) quod adamant et celebrant Avicenna et Averroes, suspicor in nonnullis codicibus fuisse inventum. Syrum ab hac culpa immunem fuisse docet Syriacum fragmentum; quod alia vocabula v. c. σπουδαῖος, ἐπεισόδιον partim in ipsa oratione duplicantur et triplicantur, partim per superscriptiones, conieceris has quoque ineptias ad correctores pertinere, ut in tanta frequentia, sane audaci coniecturā.

a) خيّل

Alia corruptela non infrequens verborum est in ordine praepostero; alia in omissis, mutilatis, partim vitio librariorum, partim fraude temporis; hoc quidem indicant *asterisci*, quos vocant, pro numero literarum quae amissae videntur, positi; quamquam hunc numerum omnino ex coniectura pendere non difficile deprehendes; nulla scriptura enim difficilius ad certam mensuram literarum redigenda quam Arabica; inaequalis longitudo versuum satis ostendet.

Gravissimum vero damnum quod praeter numerum versuum non exiguum fraude homoeoteleuti potissimum amissum. periit folium quo continebantur quae in BEKKERI editione a pagina 1460 a 17 usque ad 1461 a 7 leguntur, item quae ab 1462 b 5 ad finem opusculi. utrumque Parisini Codicis vitium est, opinor; nam haec quidem illo folio continebantur quod simul initium *[illegible]* complectebatur; illa legerunt Commentatores in exemplaribus suis, integris usi. Quocirca ergo Avicennae quam supra memoravi hanc rem non respicit.

Quod si mala fortuna usam esse Abu Basharis versionem ultro largimur, [illegible] ne in editore quidem prosperam usam esse dixeris [illegible] tamen si integram [illegible] [illegible] sordium loco habenda esset, [illegible] posset, nequaquam delectationis causa legenda [illegible] Arabicis ad imitandum proponenda. [illegible] in grammaticam persaepe [illegible] a Iudaeis et Christianis qui

[illegible] conatus sum, ratas aequum

Arabice scribunt huius artis neglegentia. Transeo quod Syriacis vocabulis abundat, quae quomodo Baghdadenses capere potuerint, nequaquam intelligo. Syriace scivisse quomodo negem non habeo; quamquam huius quoque in elementis persaepe titubat, utrumque *man*, item notas accusativi et dativi permiscens et confundens. Utrum *significans* (συνετός) an *significatus* Syriace dicatur, literae non distinguunt; quonam huius fato fieri dicam ut ubi optio detur illud deligere malit quod sententia respuat et aspernetur? Huius perversi iudicii ipsum illud fragmentum non pauca exempla suppeditat. Sane, quae erat Syriacae versionis indoles, ne eximio quidem ingenio et strenuo labore adhibito commodum inde et sibi constantem tractatum elicuisset; ergo ad securitatem desperantium mihi videtur reiectus pro fabrica inconditam molem et rudem ruinam verborum et locutionum effudisse.

"At fortasse quae tu male legis vel intellegis ea Abu Bashari et librariis vitio vertis." Utinam res ita se haberet; quamquam permulta a peritiore homine melius expediri posse mihi verisimile videtur et ut fiat aliquando vehementer opto. Omnino tamen sic se habere quomodo indicavi, gravissimis uti licet indiciis. Primum est quod Hermannus ille de quo Jourdanus[a]) loquitur, qui Aristotelis opera Latine vertit, non male Arabice doctus, ut ad Poeticam

---

lectorem de peritia *editoris* potius ex recensione Avicennae sententiam esse laturum.

a) Conf. etiam Leclerc l. l. 2, 46.

ventum est, propter discrepantem rationem Graecorum et Arabicorum carminum illud opus non posse Latine verti invenit, Summam Averrois in eius locum substituit; prudenter mehercle factum! quemadmodum si quis quod ima aedium ruerent ad superiora cenacula et summa tecta escenderet. Indicio est Averrois haec ipsa summa, a v. d. LASINIO accuratissime edita atque adornata; nam illum pleraque Abu Basharis eodem, quo nos, modo legisse vir ille doctissimus mihi, ut opinor, concedet. Indicio sunt etiam Avicenna et Barhebraeus, quibus tamen, utpote a me editis, testimonium in hac quaestione dicere non licet. Gravissimum vero omnium est testimonium quod in tam impenso studio Poetices, tantaque copia REISKIORUM et BOCHARTORUM (ne mihi doctorum huius saeculi potestatem nominandi sumam) qui Graecae linguae, Arabicaeque linguae perinde peritia inclarescerent, versio Arabica adhuc penitus delituit. Aspernabantur, opinor, munus utile fortasse scientiae, famae eius qui peregisset nonnihil damni allaturum; ei denique recipiendum sive ultro suscipiendum et tollendum, qui iacturam eius rei facere nequiret.

Proximus ab Abu Bashar operam dedit interpretandae Poeticae ABŪ ZACHARIA IAḤYA BN ʿADĪ *ad quem* (verba sunt conditoris Kitābū 'lfihrist) *pervenit principatus Logicorum nostri temporis. Audivit* Abu Bashar Matthaeum *et* Abu Naṣr Alfarabium *multosque alios. Aequalem nullum habuit sibi parem; sectam Iacobitarum Christianam profitebatur.* Obiit AH CCCLXIV = 974. Vidimus illum supra ma-

numero argenti empturientem versionem Syriacam Honeini, neque impetrantem. Versio eius periisse videtur. Si recte conieci Avicennam eam identidem adhibuisse, credibile est eum correxisse tantum ex Syriaco exemplari operam Abu Basharis, quemadmodum alios quoque libros magistri sui ab Al-Qiftio, qui uberiorem indicem scriptorum eius reliquis suppeditat, emendasse fertur. Sed hoc nimis incertum est.

§ 3. Locus est insignis praeclarorum prolegomenon Ibn Khalduni[a]) de historia Logices Arabicae. *Obtinente* inquit *fide Islamicā novem libros Organi Arabice versos exceperunt philosophi Islamitae Commentariis et Summis quales fecerunt Alfarabi et Ibn Sīnā* (Avicenna) *deinde ex philosophis Hispanis Ibn Roshd* (Averroes). *Scripsit Ibn Sīnā 'librum Sanationis' septem Scientias Philosophicas complexum. Recentiores vero immutata vi* Logices *adiecerunt theoriae quinque universalium fructum eius, sive disputationem de definitionibus et descriptionibus, ex libro Posteriorum Analyticorum excerptam. Abiecere librum Praedicamentorum tamquam Logico per accidens non per se investigandum. Adiecere libro Interpretationis doctrinam Conversionis, quamvis apud veteres ad Topica pertinentem; pendere enim quodammodo ex libro Propositionum censebant. Porro loquebantur de vi illativa Syllogismi universe, non secundum materiam;*[b]) *abiciebant enim eam theoriam quae rationem materiae habebat, quae quinque libros*

a) Notices et extraits 18, p. 112; 21, p. 155.
b) لا بحسب مادة; fort. المادة, sive مادته.

efficiebat, Analytica posteriora, Topicam, Rhetoricam, Poeticam, Sophisticam. Interdum tamen summatim attingit eam nonnemo, sed neglegenter tamquam non esset, quod est, gravissimum propositum huius scientiae.

Tres potissimum nominatim tradit auctor praestantissimus nullam partem Organi neglexisse: ALFARABIUM, AVICENNAM, AVERROEM. Primum horum (ob. CCCXXXIX = 950) virum clarissimum de consilio Poetices pauca disserentem supra audivimus. Multa cognitu iucundissima continet vita huius philosophi ab Ibn Abi Uṣeibi'a conscripta, a viro incomparabili STEINSCHNEIDERO Germanice versa.[a]) Quod praeceptore usus erat Abu Bashare, praecepimus; illud permirum est, quod Graecae linguae cognitione non videtur caruisse. Scriptum ab eo de *Poetica* unum librum invenit STEINSCHNEIDER diligentissimus investigator, sc. *de poesi et homoeteleuto,* auctore Ibn Abi Uṣeibi'a. Quo libro ad tractationem huius historiae non minus aegre quam opusculo Al-Kindii caremus; suspicari tamen licet qualis fuerit, ex poemate *de Logica* quod imprimendum curavit v. d. SCHMOELDERS in *Documentis philosophiae Arabum.*[b]) Huius enim versus 274[c]) sic a v. d. vertitur: *Quae sub imaginationem cadunt tamquam demonstrationes ostensivae poesi conveniunt.* Perperam omnino, si quid video; hoc, opinor, voluit poeta: *Illud vero* (quod supra indicavi) *quod imaginationem inducit* (cadere

a) Mémoires de l'Académie de St. Petersbourg 7, 13.
b) P. 22. c) وذلك الموقع للتخييل يصلح فى الشعر سوى الدليل.

facit in animum)[a]) *poesi multo magis quam demonstratio convenit.* Hinc docemur interpretationem illam quae *poesin* ex mente Aristotelis *genus syllogismi* facit *quod pro demonstratione imaginatione sive repraesentatione utitur* iam Alfarabio notam fuisse; quae vis huius est versiculi. Ne forte dubites, ecce definitionem Ǵorǵanii, qui *poesin Logicorum* a reliquo usu distinguit:[b]) *poesis* inquit *in sermone technico logicorum syllogismus est compositus ex imaginativis; cui propositum est ut moveatur animus incutiendo desiderio vel horrore; v. c. ubi dicunt "vinum est iaspis liquida", "mel est murra nauseam afferens".... Namque*[c]) ait idem *ubi illud dicitur dilatatur animus et cupit bibere; ubi hoc, contrahitur animus et defugit. Syllogismus vero huiusmodi propositionibus compositus Poesis vocatur.*[d]) Quis neget partem Logices Poeticae iure vindicari? Scilicet Demonstrator, Orator, Sophista, cum rem aliquam probatam vel improbatam volunt, suam quisque viam secant; Poeta pulcra vel prava imagine ornat vel deturpat. Et hoc quidem repertum vel commentum Avicenna prooemio suo copiose explicat. Huc enim reccidit quod dixit Aristoteles omnem poesin *imitatione* constare; Musis aliquis, immo vero Dis omnibus iratis Poeticam aggressus de *comparatione* vel *simulatione* agi opinabatur; ore alter ab alterius exci-

---

a) يوقع hic idem est quod يوثر in Prooemio v. 27. b) Ed. Fluegel 132, 18. c) Ibid. 218, 19. d) Illustratur hic usus verbi تخييل a Scholiasta Sacyano Haririi 243, 5 ed. pr.

pit. Versus tamen Alfarabii conservatus ab Avicenna inventionem harum ineptiarum amolitur; fortasse Alkindii opusculum si quando inventum erit, invicem ab Alfarabio.

Nimirum Alfarabium sequitur AVICENNA, sive rectius Abu ʿAlī Ḥuseinu bn ʿAbdi ʾllāhi bni ʾlḥasani bn ʿAliyi bn Sīnā, Bokhārensis.[a]) Copiose de eo disserit Ibn Abi Uṣeibiʿa 2, 1—20, nuperrime vero vir celeberrimus Wright in Encyclopaedia Britannica. De studiis suis logicis haec refert ipse apud Uṣeibiʿam: (Cum puer essem) *venit Bokhāram Abu ʿAbdi ʾllāhi ʾnnātalī qui vocabatur philosophaster. Habitare eum fecit pater meus domum nostram, spe fore ut ab eo discerem. . . . . Incepi ergo a libro Isagoges, Nātalio magistro; qui cum mihi memorasset* genus esse dictum de multis specie diversis quo respondetur ad quaestionem quid? *coepi confirmare illam definitionem argumentis quibus nihil simile unquam audiverat. Ille vehementer perculsus monerė patrem meum ne me operam dare sineret alii rei quam scientiae. Quamcunque quaestionem proposuerat melius quam ille concipere solitus elementa Logices cum eo perlegi. Subtilioris partis cuius ille nullam notitiam habebat ingenio duce*

a) Natus est mense Ṣafar anni CCCLXX = Aug. Sept. 980; obiit die Veneris Kal. Ramaḍani CCCCXXVIII = XVIII mensis Iunii 1037. Sepultus est Hamadani. — Auctor est conditor ʻmaris gemmarumʼ (بحر الجواهر) a librario Cod. Indici Archei 1420 laudatus. — Natum anno CCCXXV tradit Ibn Abi Uṣeibiʿa (2, 9).

libros cum commentariis legere orsus, Logicam accurate excolui. Post Logicam Geometriam, Physicam, Metaphysicam pervectus, Medicinam tractavit, donec *puer XVI annos natus scientiam et lectionem praeversus, Logicam reliquasque partes Philosophiae annum et dimidium iterare coepi: per quod tempus noctem ne unam quidem totam dormivi, neque interdiu ulli alii rei operam dedi; . . . . . quae illo tempore didici, sic didici quemadmodum nunc quoque scio; nihil enim ad hunc diem adieci; donec Logicam Physicam Geometriam accurate tenebam. — XVIII annos natus his scientiis omnibus operam dare destiti. Fuit scientia tunc quidem apud me servatior; sed nunc maturatior. — Fuit autem vicinus meus homo dictus Abu 'lḥusein 'Arūḍī; is a me rogavit ut componerem in eius gratiam librum hanc doctrinam complexum; conscripsi librum* Collectum, *sic enim appellavi, in quo omnes scientias praeter Geometriam tetigeram; eram tum XXI annorum. Alter vicinus dictus Abū Bakr Barqī, natus Khavārazmi, poposcit commentarium in libros in suum usum; in huius gratiam conscripsi librum* Percipientis et Percepti *voluminibus ad viginti, item librum de moribus dictum* de Innocentia et Noxa; *uterque liber penes illum solum invenitur.*

Pergit Ibn Abi Uṣeibi'a res Avicennae memorare, partim ipso auctore, partim amico eius Abu 'Ubeid; ut tandem multa prospera adversaque perpessus a Shamsu 'ddaula, Emīro Raiiae, cum iterum coli dolore laboraret, veziratum iterum acceperit; *tum* (verba sunt Abu 'Ubeidi) *rogavi Avicennam ut explicaret libros*

Aristotelis: negavit se tali tempore tanto negotio vacare; quod si mihi satis fore crederem si librum conscripsisset ea tantum continentem quae ipsi de his scientiis viderentur, ut neque cum aliter sentientibus disceptaret, neque in iis redarguendis operam poneret, se paratum esse hoc facere; assensus sum: tum ille incepit a physicis ex libro quem vocavit LIBRUM SANATIONIS *(primum librum Canonis tum confecerat). Congregabantur noctibus in domum eius studiosi sapientiae, ego vero* SANATIONEM, *alter* CANONEM *recitabamus alternis: cum desieramus, intrabant cantorum varii ordines, et parabatur convivii apparatus, cui vacabamus. Fiebant autem scholae noctu, quia interdiu non vacabat, occupatus ministerio Praefecti. Ut aliquantum temporis hoc modo peregimus, convertit se Shamsu 'ddaula Tarmum, a Praefecto oppugnatam; ad quem locum appropinquanti recruduit coli dolor vemens, adiectis aliis morbis quos attulerat solutior vita, et praecepta senis neglecta. Veritus ergo exercitus ne moreretur, cum Hamadanum cubiculo portatum reducerent, in itinere vita discessit. Renuntiatus eius filius Veziratum seni deferebat; quo ille reiecto clam literas ad 'Alāü 'ddaulam misit, quibus illius ministerium petebat, seque velle dicebat ad eum perfugere et ab eius partibus stare. Interea dum in domo Abū Ghālib al'aṭṭār delitescit, rogavi eum ut* LIBRUM SANATIONIS *absolveret; tum ille vocato Abū Ghālib chartam cum atramentario poposcit. Attulit Abū Ghālib. Tum complevit Senex circa XX folia VIII*[ae] *formae sua manu capitibus quaestionum; post biduum universa capita quaestionum descripserat, nullo libro adhibito,*

nullo fonte, omnia memoriter et ex animo. Foliis ob oculos positis, sumpta charta, singularum quaestionum animo versatam explicationem conscribebat, dum quinquagena folia in dies scribit, donec totam physicam et theologiam absolvit, exceptis libris animalium et plantarum. Tum Logicen exorsus prima particula scripta suspectus fuit Tāǵu 'lmulko tamquam ad 'Alāii 'ddaulam scripsisset; is, vehementer iratus, diligenter quaerebat senem; indicabat inimicus latebram. Captum traxere in castellum cui nomen Fardaǵān: ubi carmen condidit cuius hic versiculus: certa fides me intrasse locum; tantum exitus anceps. *Mansit ibi IV menses. Tum 'Alāii 'ddaula Hamadanum adortus cepit; profugus Tāǵu 'lmulk in hoc ipsum castellum se contulit. Relictam Hamadanum ab 'Alāii 'ddaula reversi Tāǵu 'lmulk et Filius Shamsu 'ddaulae secum Senem duxere; ibi domum Tabulatorum habitans, Logicam partem Libri Sanationis absolvebat.*

Non rapi nos decet extra oleas tanti viri laudibus; quamquam hoc denique sic vivere est ut non poeniteat, praestantissimum saeculi sui medicum, ab emīris certatim ad veziratum accersitum, subsecivis horis et epulis vacantem, sive illum in vincula coniectum, musarum sacerdotem et Hugoni Grotio imitandum, altera manu praecepta tradere artis quae postera saecula exciperent, ediscerent, Latine, Hebraee, verterent, altera Encyclopaediam illam Scientiarum propinare circa cuius minimam particulam haeremus. Accurata illa narratio 'Ubeidi non nescire sinit partes Sanationis quo quaeque tempore conscriptae sint. Haec

enim habet Abu 'lfeda s. anno CCCCXIV = 1023:[a]) *Hoc anno occupabat 'Alāü 'ddaula Abu Ǵa'far Hamadanum ereptam domino suo Samāü 'ddaulae filio Shamsu 'ddaulae de gente Buiae. Capta Hamadano Daibūrum profectus est.* Paullo copiosius narrat eandem rem Ibnu 'l Athīr eodem anno:[b]) *Hoc anno in dicionem cepit Abu Ǵa'fari bn Kākavaihi Hamadanum, cum vicinis urbibus. Namque Farhādhu bn Mardāviǵ Dailamensis regulus Baruǵirdi a Samāü 'ddaulā etc. obsidione pressus ad 'Alāü 'ddaulam confugerat; qui cum auxilium obtulisset una Hamadanum profecti obsident, commeatuque prohibent. Egreditur praesidium: pugnatur; fugit 'Alāü 'ddaula Ǵarbādhaqanum amissis ccc ex exercitu frigore. Secutus illum Tāǵu 'lmulk Quhistanensis praefectus exercitui Hamadanensi* (tandem quis hic homo fuerit didicimus) *in ea urbe exceptum obsidet. Corrupti muneribus*[c]) *'Alāü 'ddaulae Kurdi qui cum Tāǵu 'lmulko fuerant, deficiunt; ille vero obsidione liberatus iterum obsidere Hamadanum parat.*[d]) *Quo cum profectus esset, magno exercitu comparato obviam fit cum exercitu Samāü 'ddaula, comitante Tāǵu 'lmulko: pugnatur; hic fuso exercitu Hamadanensi in castello receptus se munit. Obviam profectus 'Alāü 'ddaula Samāü 'ddaulae* [imo vero Samāü 'ddaula 'Alāü 'ddaulae] *ad pedes descendit, procubuit; ille exceptum suo tentorio locat, pecuniam et quibus egeret, ministrat. Ipse cum comitibus*[e]) *ad*

a) Ed. Reiskii 3, 65. b) Ed. Tornberg 9, 232. c) Leg. فصانع pro فصنع cum cod. Bodl. Poc. 73. d) L. يتهجز pro بتهجز indidem. e) L. سار هو ومن معه pro سار وهو معه indidem.

castellum ubi 'Tāǵu 'lmulk agebat progressus obsidet, aqua prohibet; postulavit Tāǵu 'lmulk condiciones, impetrat; descendit ad 'Alāü 'ddaulam cum eoque Hamadanum intrat. Hamadano in dicionem accepta proficiscitur Daibūrum.

Hae quidem historiae satis congruunt; nam quod in fine leviter discrepant, non nimis aegre ferendum est. Satisne tibi videtur inter strepitus armorum et clangores tubarum hic thesaurus fuisse conditus? Aliis verbis historiam Sanationis narrat idem 'Ubeid in Praefatione Sanationis, non ineleganter, nisi elegantiam Latina versio omnino celabit et abscondet. Illam Praefationem Arabice ediderunt clarissimi conditores Catal. Codd. Orient. Bibl. Lugd. Bat. 3, 316.

Dixit Abu 'Ubeid: laudabo Deum propter beneficia Eius, et rogabo Eum ut faveat mihi dum placere Ei nitor. Precabor quoque pro propheta Eius Mohammad et familia prophetae. Ut ad rem veniam: suasit mihi amor scientiarum musicarum et studium adipiscendi cognitiones theologicas[a]) *ut patriā relictā ad habitaculum Senis Principis Abu 'Ali (cuius dignitatem Deus conservet) potissimum me conferrem: quoniam fama eius ad me perlata, et sermo eius coram me expositus,*[b]) *faciebant ut ad illum me converterem, posthabitis omnibus qui in hac arte celebrabantur, vel huius gregis scribebantur. Pervenerat enim ad me rumor hunc excellere scientia,*

---

a) Cod. Indici Arohei الالهية. b) Cod. I. A. recte عرض.

quum adolescens adhuc esset, nondum constantis aetatis,[a]) *non quattuor lustra excessisset; multos libros conscripsisse, quos tamen parum curare neque exemplaribus eorum faciendis studere. Exarsit amor animo accedere virum, celebrare, sollicitare, flagitare, ut libris componendis operam daret, me vero describendis dare sineret. Accessi ad eum cum in Ǵorǵaniā commoraretur, circiter XXXII annos natus; ministerio Sultani iactatus erat, versabatur in negotiis regiis. Totum tempus his impendebat, per minima momenta inde abscedens; in quibus particulam aliquam Logicae et Physicae ab eius ore describebam. Cum vero incitarem eum ad magnos libros et commentarios componendos, relegabat me ad eos quos in patria sua fecerat; quos ego olim didiceram fuisse dispersos, discerptos, vel mordicus teneri ab iis qui exemplaria possiderent: nulla enim sibi solebat servare exemplaria, ut neque adversaria condere neque excerpta facere; unum tantum exemplar aut describendum curabat aut scribebat, ei qui rogavisset donandum. Praeterea adversa exceperant, libros eius furatae erant plagae fortunae, multos annos exercitae, dum a Ǵorǵania Raiam, Raia Hamadanum migrat, occupatus veziratu Regis Shamsu 'ddaulae (cuius vultum deus sanctificet, propitiusque ei sit) quae occupatio nobis calamitatem ferebat et iacturam temporis. Refrixerat etiam spes recuperandi libros perditos. Rogabamus igitur ut denuo scriberet. Tum ille:* in vocabulis *inquit* vocabulorumque explicatione versari neque

---

a) Cod. I. A. لم يَسْتَوِ به الشباب; perperam Lugdunensis يسبق.

vacat mihi neque libet: quod si contenti eritis eo quod mihi facile sit, memoriter vobis recitabo librum encyclopaedicum, secundum eum ordinem qui mihi placebit. *Promissum eius amplexi*[a]) *expectabamus initium a Physica factum iri. Illinc exorsus ut circiter XX folia scripsit, telam abruperunt morae*[b]) *regiae, tempore volvente vices. Abreptus est rex ille (cui Deus propitius sit); noluit autem Avicenna sub eo imperio manere, neque munus iterare; credebat vero se sic posse voti compotem fieri si delituisset, opperiens occasionem discedendi ab iis regionibus; ego vero otium eius et vacationem nactus ad meos usus converti, dum sollicito eum ut Librum Sanationis perficeret; quod ipse quoque non oscitanter aggressus viginti dierum spatio physicam et theologiam praeter duos libros animalium perfecit, nullo libro ad comparandum adhibito, solo ingenio nisus. Exorsus inde Logicam prooemium cum iis quae proxime secuntur scripsit. Hic ministri illius imperi secessionem eius accusarunt, improbato consilio eius discedendi, tamquam dolo vel secretā coniuratione* [domino suo] *adversaretur;*[c]) *cupiebant etiam quidam ex intimis amicis eius sublato illo in supellectilem eius mundanam involare. Hi indicabant emissariis latebram eius, cum ei essent, in quos collata ab eo beneficia, modo memores*

a) فبذلنا الرضاء بما منى به; operarum, opinor, errore praestant Lugdunenses مُنى; debebant مَنّى. Mox pro وحرضنا Cod. I. A. وتوخّينا, quod secuti sumus. b) Cod. I. A. بالقواطع; nescio quomodo quod exhibent Lugdunenses القواطع iungi possit. c) Lego cum Cod. I. A. لممالاة خبية يعاديه.

fuissent, quominus dure eum tractarent, vetarent; quos latebram suam scire siverat. Cautum est ne descisceret, coniecto viro in castellum Fardaǵân, *ubi commoratur IV menses, dum ordinantur res illius regionis quoquo modo, donec pacatam siverunt turbatores. Tum carcere solutus, veziratum rursus gerere iussus est: deprecabatur, veniam postulabat: impetravit. Inde Logicae operam dedit, libris comparatis; unde accidit ut eos respiceret, et ordinem in Logica servaret, si qui sermo Logicorum minus placuisset, disceptando; ergo protracta Logica tandem Ispahani finita est.*

Haec quidem tradidere Biographi de historia huius libri; accurate descripsit divisionem eius v. clar. E. B. Pusey in Catalogi Bibl. Bodl. parte II; cuius verbis describendis supersedemus. Illud commode memoravit auctor quem postremo loco attulimus non eadem ratione ac reliquas partes libri Logicam fuisse compositam, illas sine libris, hanc ut quae alii scripserant, respiceret. Regio ergo cuius bibliothecas in peroratione Summae queritur mutila exemplaria Poeticae suppeditare *Ispahanus* esse debet. Quamquam sic quoque est ubi haereas; ibidem enim de opere suo quo metra Arabica tractaturus esset tamquam nondum composito loquitur. At ab Ibn Abi Uṣeibiʿa (sine auctore) traditur puer XVII annorum in patria sua *Perfugium Poetarum in metris*[a]) confecisse. Praeterea locutio illa *in hac urbe* moleste adhibetur in Ispahano, si quidem studia sua dialectica multis ante annis se perfecisse gloriatur, neque post

a) معتصم الشعراء فى العروض. 2, 19.

XVIIImum annum quicquam addidicisse; bibliotheca vero eximia se Bokhārae usum esse Noachi bn Manṣūr, *cui parem neque antea neque postea vidisset* in loco Ibn Abi Uṣeibi'ae quem supra omisi, ipse refert.[a]) Res sic conciliari posse videtur, ut statuamus loco Summae Bokhāram significari; puerili libro *de metris* pariter cum *Summa philosophiae* amisso, Avicennam consilium cepisse hanc quoque materiam iterum tractandi. Non dissimile est quod Barhebraeus, quod postea monstrabimus, dum Avicennae verba exscribit, ipse quoque librum de metris profitetur.

Codicibus summae Poetices quae *Primae* Collectionis Caput est *Nonum* usi sumus quattuor:

1. MS. Bibl. Bodl. Poc. 119 literae orientalis: Subscriptio:

هذا اخر المنطق من كتاب الشفاء ووافق الفراغ منه فى العشر الاوسط من ربيع الاخر سنة ثلث وستماية.

Finis Logicae libri Sanationis. Finita mediā decade mensis Rabī' alterius anni DCIII: fere die XXV mensis Novembris 1206 A. S. Primum omnium descripsi, paginarumque numeros pressurae inserui. Pessimus Codex, admodum neglegenter scriptus, multis versibus omissis, item toto capite.

2. MS. Bibl. Bodl. Hunt. 111, literae occidentalis. Temporis nota caret, sed vetustum esse apparet. Hunc fere ubique sequor. Poetica ab 126b ad finem pertinet.

3. Cod. Indici Archei 1420, olim Ricardi Johnson,

a) 2, 4.

admodum recens, tamen a bono exemplari, literae orientalis. Subscriptio:

في رابع ربيع الاوّل سنة ثمان واربعين من الماية الثانية بعد
الالف من الهجرة النبويّة.

Die IV mensis Rabi' prioris anni MCCXLVIII = Kal. Aug. 1832. Subscriptio libri unde descriptus est f. 2a;

خدم بكتبها العبد الضعيف شريف بن عبد اللطيف الحسنى
سنة احدى وتسعين وثمانماية.

AH DCCCXCI = A. S. 1486.

Singularis benevolentia R. Rostii Bibliothecarii doctissimi Indici Archei usum huius libri annuum mihi concessit.

4. Cod. Brit. Mus. Or. 113.

Libello iam exscripto et Typothetis tradito, incidi in notitiam in *Catalogo Codicum Upsalensium* a v. cl. Tornberg confecto libri *El-Ḥikmatu 'l 'Arūḍīyya* appellati, ab Avicenna scripti, epistolam de Poetica inter alia continentis. Vertit illa verba v. d. *Philosophia Accidentalis;* sed *accidens* credidi Arabice *'araḍ* non *'arūḍ* dici, *accidentalis* vero *'araḍiyy*, non *'arūḍiyy*, hoc enim vocabulum, si quid omnino, *metricus* vel *musicus* valere. Nomen illud ergo *Sapientia 'Arūḍiana* vertendum est, homo enim cuius causā scriptus est liber, de quo supra Avicenna, *Abu Ḥasan Aḥmadu bn 'Abdi'llāhi 'l'arūḍī* appellabatur; scriptus est ab Avicenna anno CCCXCI = 1000 si fides subscriptioni, quam confirmat Ibn Abi Uṣeibi'a in Indice

librorum,[a]) Avicennam natum fuisse XXI annos, cum componeret, affirmando. Huius libri desiderio vehementi commotus, cum Bibliothecarium Upsalensem adiissem, vir humanissimus ne momentum quidem temporis, ut videtur, cunctatus, se librum Oxonium ad Bodleianam mittendum curaturum promisit, utque primum id per senatum Upsalensis Universitatis licuit, misit. Locus de Poetica perquam exiguus est, plerumque cum primo capite tractatus *Sanationis* ad verbum consentiens; praemittitur tamen paullo uberior explicatio "Imaginationis" exemplis de poetis sumptis inferta. Nemo mirabitur, qui quidem in literis Orientalibus mediocriter versatus sit, scriptorem *δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγοντα*; memini cum Commentarius Arabicus Iepheti bn ʿAlii in Danielem exscribendus esset, sex missos Codices Petropolitanos quorum quinque Commentarium ipsum, sextus Librum dictum *Futurorum* integrum commentarium in caput XII complexum continebat; egregie autem confirmatur gloria sive criminatio Avicennae se post XVIIImum annum nihil philosophiae addidicisse. Edendi ergo eius libri causam nullam vidi; sed ne periret benevolentia Bibliothecarii Upsalensis, fecit eximia emendatio versūs quem Codex Archei Indici solus sed corruptum servabat.

Primum caput libelli Avicennaei in ea materia versatur quae ad Aristotelem nequaquam pertineat; descriptione *formarum Poeticarum* sive lusuum quibus Poetae Arabici, non tamen optimus quisque, indulgebant.

---

a) 2, 18, 28.

Illa doctrina potius ab Indis quam a Graecis ad Arabes defluxerat, quamquam proprio ingenio invenisse possunt. Formas plerasque una quaeque pagina Sessionum Haririi exemplis illustrabit. Scholiasta SACYANUS eiusdem scriptoris (p. 233 ed. prioris) nonnulla adicit. Index perridiculus ille carminum Graecorum maximam partem ex Poetica ipsa expressus est; ἀμφὶ γενέσιος Empedocleum Alfarabio, ni fallor, acceptum rettulit, quem apud Ibn Abi Useibi'am docte de veriloquiis verborum Graecorum disserentem audire potes.

De exemplari Poetices quo usus est, duo non fallent; primum, omnino non fuisse diversum a versione Abu Basharis quam edidimus. Exemplo sint verba οἷον ἐκείνου ὁ Μαργίτης, pro quibus ἡ μαργότης sive ἡ μαργῖτις legebatur, a Syro sive ab Arabico interprete specimen Comoediae esse credita, qua nescio quis libidinosum et adulterum hominem multa cum libertate notasset. Abu Bashar voc. μαργότης vel μαργῖτις aut duobus aut pluribus verbis repraesentat, more suo servato; potuit etiam alter interpres hanc rationem adhibere, sed in tanta copia Arabicorum verborum quae *libidinem* significant, in eadem non incidisset; quoniam eadem ab Avicenna adhibentur, Abu Basharis versione usus esse putandus est. Sed hoc certius est quam quod demonstratione egeat; illuc ergo praevertendum, quod exemplar Avicennae annotatis eius qui Syriacum vidisset locupletatum erat. Primum indicium huius rei quod fere ubique de *Tragoedia* et *Comoedia* non de *Panegyrico* et *Convicio*, quemadmodum Abu Bashar et Averroes, loquitur. Ad idem genus per-

tinet quod Abu Bashar quidem *histriones* per nomina Qoranica *simulatorum* fere ubique reddit; Avicenna vero propius a Syriaco per *captatores facierum*; non tamquam intellegeret quid illa locutio vellet; nam p. ٩٠, 21 ubi dicitur adiecta fuisse Tragoediae *captatio facierum* facies illas non faventium sed longe diversas facit; *adiecta captatione illud lucrata est Tragoedia quod res a duabus faciebus, altera verbi altera vultus recitantis intellegi est coepta.* Aliud indicium quod ad calcem libelli, ubi de *simia* agitur, Abu Bashar foedam corruptelam habet, in qua tamen *ghallās* latet, vox Syriaca *simiam* significans, sed parum, ut videtur, usitata, quatenus Barhebraeus interpretatione indigere arbitratur; Avicenna recte *simiam* sine annotatione scribit. Unde cognita Avicennae vis illius vocabuli? Nam Persice quidem eum scisse ex libro eius *Indicationum*, ubi scite de consuetudine Persica copulam ponendi Arabicā omittendi disputat, et aliunde cognitum habemus, idque ad liberiorem disciplinam Mohammadani pertinet; Syriacae illi linguae peritiam fuisse respectu illius *captationis facierum* habito difficilius ad fidem. Hinc ergo coniecerit aliquis Abu Zachariae operam in eo fuisse positam ut difficillima quaeque versionis Abu Basharis interpretaretur sive in melius mutaret; opus vero condiscipuli Alfarabii fautori huius innotuisse.

Promptum est Summam Avicennae percurrenti prope omnia ex verbis Abu Basharis partim male lectis explicare; sed hac opera utpote neque perutili neque admodum iucunda supersedere praestat. Plerumque

enim non tam constantem sensum ibi invenisse videtur, quam si quid intellegere se crediderat, hoc expiscatus iterasse. P. ١٣, 10 scribit Abu Bashar *esse metrum simplex et esse promissa, haec diversa;* hinc pendet Avicenna ٩٣, 4—6 qui haec habet: *metrum autem simplex esse debet h. e. rhythmo simplici, hoc enim efficacius quam metrum rhythmo composito; sed circumscripta sint simplicia illa metra variis temporibus pro singulis propositis.* Illud verbum quod *promissa* verti ἐπαγγελίας repraesentat, corruptelam δι' ἀπαγγελίας; sed idem *tempora* potest significare: totum comma ergo sic accepit Avicenna: (oportet) *esse metrum simplex et esse tempora, haec vero diversa.* Dixerat Aristoteles *in eo discrepare Epopoeiam a Tragoedia, quod et simplex est et per narrationem,* unde vide quam longe vagati simus. Quot turbarum auctor exstitit is qui primus Graecum ὄψις per *naṭhar* repraesentavit! Sed haec, ut opinor, quicunque Arabica legere potest sine labore deprehendet; quibus ea peritia deest, ne ridendi quidem materiam satis facilem praebebunt. Hic illic in gurgite errorum tamen emergit ingenium Avicennae seque non indigna praestat.

In illo *Compendio Libri Sanationis* quod ad calcem Canonis impressum est materiam hanc defugit Avicenna, ad Sanationem lectorem ablegans. Ne in *Indicationibus* quidem, praeclaro libello, quem Codex Florentinus una cum versione Syriaca Barhebraei continet, quicquam de Poetica. Contra *Fontibus Scientiae* libello in Ambrosiana Mediolani conservato, pauca de Poetica insunt, commentario Fakhru 'ddīni 'rrāzī explicata

Natus est hic homo Raiae 1149 A. S., obiit 1210[a]). Aliud exemplar eiusdem operis exstare in Bibliothecā Escurialensi notavit WÜSTENFELD auctore CASIRIO. Paginam quae illa continet exscriptam edidi et quia fons Definitionum Ǵorǵānii esse videbatur, et ne quid sciens praeterirem.

§ 4. Summam Averrois (ob. 1198) Arabice et Hebraee edidit v. doctissimus F. LASINIO, quatenus iudicare possum, egregie, ut nihil ultra. Quoniam vir summus illam Summam Italice vertere destinat, de ratione Averrois haud dubie disputaturus, perpauca de eo dicam. Abu Basharis versionem fere talem qualem edidimus possedisse videtur; item interpretationem Avicennae quem plerumque sequitur, nonnumquam exscribit. De suo addidisse videtur exempla poetarum Arabicorum, saepe risum excussura, si ad locos Aristotelis, quibus respondere debent, comparentur; illum laqueum Avicenna ingeniose defugerat. Ad crisin Abu Basharis Avicennā longe utilior est.

§ 5. Venimus tandem ad magnum Syrum GREGORIUM BARHEBRAEUM de cuius vita et scriptis copiose disserunt Chronici Ecclesiastici doctissimi editores. *Poetica* eius nona pars est *Doctrinae primae* (s. Logicae) operis philosophici quod *Butyrum sapientiae* appellavit. In Catalogo Scriptorum huius viri quem continet Cod. Med. Pat. 62 = 290 decimum locum obtinet. Titulum sumptum suspicor ex verbis in quae desinit Liber

---

a) WÜSTENFELD in Geschichte der Arabischen Aerzte s. 111—114.

Indicationum Avicennae: *Ego in his indicationibus expressi tibi Butyrum veritatis;* nam hunc librum se vertisse testatur Gregorius in loco Chronici ab ASSEMANNO allato, eaque versio in Codice Mediceo servatur. Queritur v. cel. RENAN in aureolo opusculo quod tot errores priorum abstersit, perquam rara esse exemplaria huius *Butyri;* quod tamen Codd. 176—179 hunc librum, non Philosophiam nescio quam Honeini complecti repperit, inde Honeini quidem opus perdidimus, novum exemplar Gregoriani non sumus lucrati; nam hoc pendere ab altero exemplari quod servat Bibliotheca Medicea non, ut fit, leviculis indiciis, sed certissimis argumentis demonstrari potest; nam ultima pagina Cod. 69 = 186, in quam pars Poeticae nostrae cadit, lacero margine aliquot literas perdiderat, postea Bibliopegi manum experta novam (quamquam exiguam) iacturam passa est; illam priorem iacturam communem habet Cod. 179, recentiorem non item. In pressura nostra supplementa Cod. 179 repraesentavimus. Praeter has literulas quas Bibliopegi manus post Cod. 179 descriptum perdidit, nihil omnino ex eo libro lucramur. Codices ergo quibus Butyrum continetur solis (praeter fragmentum in Bodleiana servatum) Codd. 69 = 186 et 83 = 187 esse videntur. Sed in his quoque describendis alias res egisse videtur ASSEMANNUS. Imprimis *tertium caput* Poetices in 187 coniectum esse refert; hoc quam verum sit ex nostra editione deprehendere potes. Deinde subscriptionem Cod. 186 exscribit nescio unde fictam; nam Bibliopegus, non vero librarius duo volumina effecit; utic

librarius hoc destinasset nequaquam cum paucae lineolae restarent telam abrupisset. Quid ergo passus subscriberet? nisi forte hoc in mediis voluminibis fieri solet. At idem Assemannus dum falsas subscriptiones fingit, veras non minus quinque neglexit. Earum aliquas nos repraesentare conabimur.

1. F. 191 b. ad calcem Theologiae:

ܫܠܡ ܟܬܒܐ ܕܬܐܘܠܘܓܝܐ ܘܒܫܘܠܡܗ ܐܫܬܠܡܬ ܡܢܬܐ
ܬܐܘܪܝܛܝܩܝܬܐ ܕܦܝܠܘܣܘܦܘܬܐ ܡܢ ܟܬܒܐ ܕܚܐܘܬ ܚܟܡܬܐ . . . .
ܒܫܘܠܡܗ ܕܩܢܘܢ ܩܕܡܝ ܫܢܬܐ ܐܦܨܙ ܕܝܘܢܝܐ . . . ܗܟܢܐ ܟܬܝܒ
ܗܘܐ ܒܐܪܟܣܗ ܕܐܒܘܢ ܛܘܒܢܐ ܡܢܝܚܐ ܀

Finitus est liber Theologiae quo finito absoluta est pars Theoretica Philosophiae libri Butyri sapientiae .... fine Kanonis Primi anni 1597 *Graecorum* (= 1286). *Sic scriptum fuit in exemplari Patris nostri beati vita functi.*

2. F. 277 a.

ܫܠܡ ܟܬܒܐ ܕܦܘܠܝܛܝܩܘܣ ܘܒܫܘܠܡܗ ܐܫܬܠܡ ܟܬܒܐ
ܕܚܐܘܬ ܚܟܡܬܐ ܒܝܪܚ ܫܒܛ ܬܡܢܝܐ ܒܗ ܫܢܬ ܐܦܨܙ ܕܝܘܢܝܐ ܘܬܫܒܘܚܬܐ ܠܐܠܗܐ
ܗܘ ܕܝܗܒ ܚܝܠ ܘܥܘܕܪ ܒܛܝܒܘܬܗ ܘܐܝܟ ܣܘܓܐܐ ܕܪ̈ܚܡܘܗܝ ܣܓܝܐܐ.

Finitus est liber Politicorum quo finito absolutus est liber Butyri Sapientiae mensis Shabāṭ VIII° anni 1597 *Graecorum. Laus Deo qui opem et auxilium subministravit bonitate Sua, et secundum abundantiam misericordiae Suae multiplicis.*

3. Ibid. sed rubricā:

ܗܟܢܐ ܟܬܝܒ ܗܘܐ ܒܐܪܟܣܗ ܕܐܒܘܢ ܡܦܫܩܢܐ ܡܢ ܕܡܕܢܚܐ

ܡܢܝܚܐ ܡܪܝ ܓܪܝܓܘܪܝܘܣ ܢܬܒܣܡ ܒܨܒ̈ܬܐ ܘܒܒܘܣ̈ܡܐ ܠܐ ܡܬ̈ܦܣܩܢܐ
ܘܢܬܡܢܐ ܥܡ ܟܐ̈ܢܐ ܒܥܠܡܐ ܕܗܘ̈ܢܐ ܡܠ̈ܐܟܝܐ.

Sic scriptum fuit in exemplari Patris Maphriani Sancti Orientis vita functi Domini mei Gregorii, qui oblectetur splendoribus et deliciis infinitis et certis cum iustis in mundo intelligentiarum Angelicarum.

Huc pertinet quod transversā paginā legitur:

ܗܢܐ ܙܒܢܐ ܕܫܘܠܡܗ ܕܟܬܒܐ ܗܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܒܐܝ̈ܕܝ
ܫܘܠܡܗ ܐܒܘܢ ܡܦܪܝܢܐ ܡܢܝܚܗ.

Hoc tempus absolutionis scriptoris (scripturae?) *huius libri manu est scriptoris Patris nostri Maphriani vita functi.*

4. Ibid.

ܐܢܐ ܕܝܢ ܡܣܟܢܐ ܢܓܡ ܕܫܡܗ ܩܫ ܘܕܝܪ ܒܪ ܫܡܫܘ ܡܫܡܫܐ
ܘܐܣܝܐ ܘܢܡܘܣܝܩܐ ܒܪ ܐܣܝܐ ܡܢܝܚܐ ܐܒܘܠܦܪܓ ܕܡܬܩܪܐ ܒܪ
ܩܣܝܣ ܕܡܢ ܡܪܕܐ ܡܕܝܢܬܐ܀ ܫܡܠܝܬܗ ܠܟܬܒܐ ܗܢܐ ܝܘܡ
ܬܪܝܢ ܒܫܒܐ ܬܡܢܝܐ ܒܐܝܪ ܫܢܬ ܐܡ̇ܢܐ ܕܝ̈ܘܢܝܐ ܘܠܐܠܗܐ ܫܘܒ
ܕܝܗܒ ܘܥܕܪ ܒܛܝܒܘܬܗ.

Ego vero pauper Neǵem appellatus Presbyter et Monachus, filius Shamsu-[ddaulae][a]) *Diaconi Medici Iureconsulti, filii Medici vita functi Abulpharagii appellati Bar-Qasis, ex urbe Marde absolvi hunc librum die Lunae VIII*° *Iyari anno* 1651 *Graecorum* (= 1340). *Laus Deo qui opem et auxilium subministravit bonitate Sua.*

---

[a]) Hic quidem omissum, sed in subscriptione paginae proximae obvium.

5. F. 227 b. Prophetia Barhebraei de morte sua qualis apud PAYNE SMITH Catal. Codd. Bodl. p. 397 impressa extat; ex quā natum illum fuisse a. 1226, obiisse 1286 discimus. Astrologica argumenta quibus nisus vaticinabatur et alibi, opinor, inveniuntur, et in Cod. Med. Pal. 62 = 298 f. 82 a.

In conscribendis ergo foliis 86 huius libri mensem totum et sex dies consumpserat Barhebraeus; integrum opus quoniam paullo plus 500 folia complectitur, non multo amplius dimidium annum occupasse censendum est. Hoc est opinor quod *tumultuariam operam* vocant. Modo non totum ab Avicenna pendere unus quisque, qui duas utriusque paginas legerit, deprehendet; equidem scire gestiens utrum totum illud butyrum lacte Avicennaeo expressum esset, magnam partem Rhetoricae atque nonnulla alia descripsi; sed lectis iis quae PAYNE SMITH in Catal. Codd. Bodl. 394 docet, repperi illum laborem frustra fuisse; nam auctor Indicis fontes Barhebraei hos recenset: *Socratem, Platonem, Avicennam, ceterosque viros illustres perantiquos et medii aevi et ultimi.* Iam Socratem quidem et Platonem quatenus respexerit, nescio; Aristotelem sane prae manibus habuit, et Syriacum quidem nisi omnia fallunt; nam et ipse ad calcem libri testatur *haec ultra nihil in Syriacis exemplaribus inveniri,* et multo gravius indicium ex nominibus Graecis capi potest; neque enim tantā vi coniectandi pollebat Barhebraeus ut ex ruinis Arabicae scripturae tantum non omnia suo marte eruere posset. Praeterea iam supra audivimus illum apud ASSEMANNUM in Bibliotheca Orientali

Poeticam Syris monachis discendam tradere; non traditurum, nisi Syro sermone exstitisset. Quo magis dolendum est cum libri copiam haberet ex eo maiorem fructum non cepisse; perraro enim ad emendandum Abu Basharem adhiberi potest eius Summa; ad corrigendum Aristotelem, quod sciam, nunquam. Avicennam ergo plerumque sequitur ut nihil de suo adiciat. Quod si quis illum verbis Qāḍii Haririani percontaretur هل حين سرق سلخ ام مسخ ام نسخ *utrum, dum furatur, imitatus esset, an mutatum an immutatum exscripsisset*, trium criminum, ni fallor, causam diceret. Ipsa enim Arabica verba Avicennae hic illic in primis paginis margini allevit aut auctor aut is qui fraudem deprehenderat, ad calcem autem paene ridiculus est cum librum de metris promittit; imitatur, cum iis quae Avicenna de Arabicis poematis disserit levia quaedam de Syriacis substituit; totus fere libellus in medio crimine versatur. Praeterea Avicennam nonnunquam male vertit et traducit. Quamquam nihil in hoc genere hic libellus ostendere potest, quod cum iis quae in versione *Indicationum* in se admisit, comparetur, quorum unum exemplum proferam. Describit ibi Avicenna satis perite illud genus universalium quod verbo *solus* continetur, v. c. *Homo solus sermonis compos est.* Res simplex est, Avicennae sermo nullis ambagibus laborat. Barhebraeus cetera quidem recte, *solus*[a]) per *quoniam*[b]) vertit; adeo sententiae et veritatis securum est ubique ingenium Orientale.

---

a) إِنّما. b) ܡܛܠ.

§ 6. Restat ut ea de opella mea proferam quae nondum absoluta sunt. Latinam versionem Abu Basharis cur nihil attinuerit praestare, lectorem non fallet. Uti poterat nemo quin aliquam saltem notitiam linguarum Syriacae et Arabicae teneret; is autem fontes libentius adibit. In caput ergo quod proxime sequitur indicem conieci locorum Abu Basharis qui scripturae Graecae mihi prodesse posse videntur; illum si quis auxerit, non aegre feram. Specimen Avicennaeae summae credidi amicis me exhibere debere; et propter delectationem (interpretis dico) rei, et propter magnitudinem viri, quae hic illic tamen elucet. Quamquam omnino, si cui novam Muʿallaqam condere animus, quam lex artis a commemoratione *ruinarum* incipere iubeat, illi non inepte suaseris ut ab his monumentis deflendis initium exordiendi carminis capiat; praeclàri opusculi Aristotelis *superesse in sabuletis* (Avicennaeis puta, vel Gregorianis) *tamquam reliquias sandycis in cute dextellae.*

II.

Symbolae Orientales ad emendationem Poetices.[a])

1447 a 12. λέγομεν ἀρξάμενοι:

et dicamus et dicimus.

Prius, ut videtur, oblitum oportuit; hoc satis vetustam esse corruptelam MS. 1741 videtur indicare.

κατὰ φύσιν: omittit Arabs Parisinus, ut vid., sed Averroes legerat.

13. ἐποποιία δὴ — διθυραμβοποιητική:

iam per omne poema et omne epos poeticum sequimur aut tragoediam aut comoediam aut dithyrambum poeticum.

Idem exordium laudat Averroes; ab eo additum esse conieceris cui Aristoteleum initium ieiunius esse videretur.

---

a) Graeca scriptura quae affertur Parisini archetypi est, a Vahleno tertium accuratissime editi; interdum leviter emendata quemadmodum a Vahleno repraesentatur.

Latina quae **crassis literis** exarata sunt Arabicam versionem, quae primum locum Orientalium analectorum obtinet, reddunt.

Quae secuntur Latina observata sunt editoris.

διθυραμβοποιητική videtur legisse Syrus, haud scio an etiam ἐποποιητική habuerit.

17. ἢ γὰρ τῷ γένει ἑτέροις μιμεῖσθαι:

aut imitatur rebus diversis.

H. e. τῷ ἑτέροις vel τῷ ἐν ἑτέροις quod FORCHHAMMER emendavit. Conf. VAHLEN, p. 87.

20. ἕτεροι δὲ διὰ τῆς φωνῆς:

item alii ex iis per sonos.

MADII emendationem non confirmat; digna tamen est quae excerpatur Averrois interpretatio (2, 20) *quomodo imitantur alii alios per colores formas sonos.* Ingeniose Avicenna (٨٦, 2) καὶ ἕτεροι μὲν διὰ πράξεων interpolat.

25. κἂν εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνωσιν οὖσαι <τοιαῦται> τὴν δύναμιν:

si existunt aliae artes similes vi his duabus.

Bene ergo supplent apographa.

26. οἷον ἡ τῶν συρίγγων, αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμοῦνται χωρὶς ἁρμονίας οἱ [ἡ apogr.] τῶν ὀρχηστῶν:

exemplum huius rei est ars arundinis quae utitur eodem rhythmo sine harmonia et ars instrumenti saltationis.

a. Delevit μιμοῦνται CHRISTIUS; hoc fieri debere indicat Arabs, simili sed utiliori glossemate usus.

b. τῷ αὐτῷ δέ male Syrus legit.

c. Idem male ὀρχηστρῶν.

d. Contra pulcre ἡ quod etiam apographa indicant.

29. ἡ δὲ [ἐποποιία seclusit UEBERWEG] μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς ἢ τοῖς μέτροις καὶ τούτοις εἴτε μιγνῦσα μετ' ἀλλήλων εἴθ' ἑνί τινι γένει χρωμένη τῶν μέτρων <ἀνώνυμος supplevit BERNAYS> τυγχάνουσα μέχρι τοῦ νῦν:

certa quaedam ex iis oratione prosa libera magis vel metris et imitatur ea haec [fort. *in his*] **sive ea commiscendo, sive ut adhibeat genus unum et metris** [fort. *metrorum*] **quae sine nomine est adhuc.**

a. Res successisse videtur Ueberwegio.

b. Stabilire Arabem Bernaysii supplementum iamdudum animadvertit Vahlen.

1447 b 15. *καὶ γὰρ ἂν ἰατρικὸν ἢ μουσικόν* [*φυσικόν* Heinsius] *τι*:

si enim fecerint aliquid de re medica vel re physica.

Recte ergo *φυσικόν* restituit Batavus. Idem praestat Averroes.

23. *ὁμοίως δὲ κἂν εἴ τις ἅπαντα τὰ μέτρα μιγνύων ποιοῖτο τὴν μίμησιν, καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε Κένταυρον μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων*:

item si quis imitationem facit dum miscet omnia metra quomodo fecit Chaeremon, nam imitabatur Centaurum saltantem choream, ex omnibus metris.

Fort. *καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε, Κένταυρον μιμούμενος, ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων.*

(Verba *saltantem choream* ex Syriaco sermone explicanda sunt; conf. Barhebraeum ad h. l.)

Vir eximius Tyrwhitt haec annotavit: *si Codd. MSS. sinerent, voces illas μικτὴν ῥαψῳδίαν penitus delerem, quas ex glossemate ortas suspicor.*

24. *εἰσὶ δέ τινες οἳ πᾶσι χρῶνται*:

inveniuntur autem homines qui utantur omnibus.

Ergo *οἳ* non *αἳ* legit.

1448 a 1. *ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας*:

quoniam ii qui imitantur efficiunt hoc agendo acta voluntaria.

Utrum *πράττοντες* an *πράττοντας* legerit propter indolem Syriacae linguae aegre efficias; quoniam tamen Arabs noster eam locutionem usurpavit quae nihil dubii relinquat, *πράττοντες* Syrus quoque expressisse putandus est.

2. *κακία γὰρ καὶ ἀρετὴ* [*κακίᾳ — ἀρετῇ* apogr.]: cum apographis facit.

3. *ἤτοι βελτίονας ἢ καθ' ἡμᾶς ἢ χείρονας ἢ καὶ τοιούτους*: **afferunt imitationem aut meliores nobis aut peiores aut cuius condicio illic est.**

Utrum legerit *μιμοῦνται* an de suo suppleverit, difficile est dictu.

4. *ὥσπερ οἱ γραφεῖς· Πολύγνωτος μὲν γὰρ κρείττους*: **sicut imitantur pictores in artibus suis, optimi quidem ex iis optimos, pessimi pessimos.**

Expulit notula satis inepta verba *Πολύγνωτος μὲν γὰρ κρείττους*.

6. *τῶν λεχθεισῶν ἑκάστη μιμήσεων*: **omnis imitatio ex iis quas descripsi et unaquaeque actio.** Ne his quidem multum adiuvamur.

13. *τὰς παρῳδίας ποιήσας*: **qui primus faciebat tragoediam.** Corruptela e Graeco videtur fluxisse.

15. *ὥσπερ γᾶς Κύκλωπας Τιμόθεος καὶ Φιλόξενος μιμήσαιτο ἄν τις*: **sicut imitatur quis, sic Cyclopas Timotheus et Philoxenus.**

Exemplar Syri conieceris habuisse *ὥσπερ μιμήσαιτο ἄν τις, οὕτως Κύκλωπας* T. κ. Φ. Quae quum vera esse non possint, ingeniose censendus est verba *μιμήσαιτο ἄν τις* delevisse VAHLENUS tamquam e. v. 19 iterata, eumque scite secutus esse CHRISTIUS. Quod si *ὥσπερ οὕτως* antiqua erat scriptura, facile *ὥσπερ οἱ τοὺς* emendaveris. Ea emendatione perfectam sententiam consequare; nempe in dithyrambis et nomis eandem quae in ceteris apparere discrepantiam, cuius specimen fuisse Timotheum et Philoxenum, cum uterque Cyclopes faceret, illum meliores hunc peiores iusto facientem. *οἱ τοὺς Κύκλωπας* consimilis est locutio ei quae antecedit *ὁ τὴν Δηλιάδα*. Potest etiam *γᾶς* ultima syllaba esse vocis *Κυκλωπᾶς* (quam sic habet A') prave repetita.

16. *ἐν αὐτῇ δὲ τῇ διαφορᾷ*:

in eadem discrepantia.

H. e. *ἐν τῇ αὐτῇ δέ*.

18. *τῶν νῦν*:

om. Arabs.

20. *καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἔστιν ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα ἢ πάντας ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους.*

Nam in his etiam imitationibus iisdem interdum quidem dum pollicentur imitationem aut dum res alia fit [vel **re aliā quae fit**] **sicut faciebat Homerus, aut si quis similis fuit ei in quo non est differentia item, et omnes qui agunt et faciunt qui imitantur, afferunt imitationem suam.**

a. Fort. *ἀπαγγέλλοντας*.

b. Ultima verba *afferunt imitationem suam* addebantur ut sententia constaret; postquam *et* ex *vel* corruptum fuit.

c. Fort. πάντας τοὺς πράττοντας. — Hoc si verum est, tota sententia sic fere rescribenda erit:

ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντας ὁτὲ δ' ἕτερόν τι γιγνομένους (ὥσπερ Ὅμηρος ἐποίει) ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντας ἢ πάντας τοὺς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας [sc. γιγνομένους].

25. ἐν οἷς τε ⟨καὶ ἃ⟩ καὶ ὥς:

et in his necessario.

Latere videtur in his ἀναγκαίως, corruptela verborum καὶ ἃ καὶ ὥς.

33. Χωνίδου.

Χιωνίδου diserte Arabs.

1448 b 1. καὶ τὸ ποιεῖν αὐτοὶ μὲν δρᾶν Ἀθηναίους δὲ πράττειν προσαγορεύειν:

omisit.

4. ὅλως:

omisit.

14. τοῖς ἄλλοις:

his reliquis.

18. οὐχὶ μίμημα ποιήσει τὴν ἡδονήν:

non faciet iis quae imitatur.

Si excidit *voluptas*, confirmat emendationem HERMANNI ᾗ μίμημα.

19. ἄλλην:

omisit.

20. καὶ τῆς ἁρμονίας:

per harmoniam.

26. οἱ δὲ εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων πρῶτον ψόγους ποιοῦντες, ὥσπερ ἕτεροι ὕμνους καὶ ἐγκώμια:

vilissimus quisque conviciati primum malis, faciebant postea panegyricum et laudem aliorum [*malorum*].

Fort. ἑτέροις.

Malorum quod uncinis inclusi interpolatum est ab eo qui eandem difficultatem sensit quam postmodo Averroes; videlicet, λοιδορῆσαι τοὺς πονηρούς nequaquam esse *vilis* animi, sed μηδὲν ἐπίφθονον.

35. μόνος γὰρ οὐχ ὅτι εὖ ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν:

solus per se non solum fecit res pulcerrimas in ea sed fecit imitationes DRAMATICAS dictas.

Alterum ὅτι, quod delevit BONITZ, non legit.

38. ὥσπερ Ἰλιὰς καὶ ἡ Ὀδύσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας:

qualis est Ilias ad compositionem et dicta Odyssea ad tragoedias.

Voc. quod *compositionem* verti non facile est lectu; expectaveris voc. Graecum; legere nequibat etiam Avicenna ٩٠, 13. Utique interpolatum est.

1449 a 7. τὸ μὲν οὖν ἐπισκοπεῖν ἆρ' ἔχει ἡ τραγῳδία τοῖς εἴδεσιν ἱκανῶς ἢ οὔ, αὐτό τε καθ' αὑτὸ κρίνεται ἢ ναὶ καὶ πρὸς τὰ θέατρα, ἄλλος λόγος:

ut ergo faciamus hoc ipsum initium artis tragicae (vel artem tragicam) et cum speciebus affatim, h. e. sive sint hae duae meliores (?) per hoc seu *sit* inter utramque ratione alia.

αὐτῷ τε κατ' αὐτὸ εἶναι κρεῖττον ἢ πρὸς θάτερα?

10. καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον:

dum incipit a causis primis quae pertinent ad genus dictum Dithyrambum.

11. τὰ φαλλικά [corr. apogr.]: τὰ φαῦλα.

14. καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν, τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων καὶ . . . λέξεως γελοίας διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη:

quod hanc attinet, augebat (?) numerum histrionum ab uno ad duos, primusque introduxit has rationes chori et cordacis, idem primus paravit rationem certaminum, item primus creavit haec genera ludi et ioci Sophocles, idem primus creavit ex parvis fabulis magnitudinem sermonis et vociferationem et tumultum in sermone et orationes quae pertinent ad genus ridiculi et ioci et faciebat id mutando aliquid de forma generis quod appellatur satyricum, postea vero et sero adhibebant castitatem.

a. εἰσήγαγε legisse videtur pro Αἰσχύλος ἤγαγε; servat huius nomen Avicenna.

b. *rationes* corruptelam Syri repraesentare potest.

c. καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν bene vertisse videtur Syrus quem noster non intellexit.

d. quid verbo τρεῖς factum sit, nescio.

e. *haec genera ludi* prava interpretatio videtur esse Syri.

f. glossemate *magnitudinem* (sermonis) cave fallaris.

g. Haec omnia si tranaveris, mercedem habebis verbum cuius omissionem bene notavit Christius, non ille quidem rem acu tangens, cum ἡ λέξις insereret.

Vocabulum debebat cuius vice Graeculi ὑψηγορία usurpant.

31. μίμησις φαυλοτέρων μὲν οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν ἀλλὰ . . . τοῦ . αἰσχροῦ ἐστι τὸ γέλοιον μόριον:

imitatio vitiorum quidem non in omni vitio, sed tantum res ridicula est de genere foedi quae est portio et ridicula.

Satis prope a vero abest Christius qui supplet ἀλλὰ ⟨κατὰ τὸ γέλοιον⟩ τοῦ ⟨δ'⟩ αἰσχροῦ κτλ.

1449 b 10. ἡ μὲν οὖν ἐποποιία τῇ τραγῳδίᾳ μέχρι μὲν τοῦ μέτρου μεγάλου μίμησις εἶναι σπουδαίων ἠκολούθησεν:

et imitatio praestantium propria facta est arti poeticae quae appellatur epe in arte tragica ad mensuram quandam metri sermone cohaerenti.

Aliquid his simile eruendum videtur: μέχρι μὲν τοῦ μέτρῳ συνημμένῳ λόγῳ μίμησις κτλ.

12. ταύτῃ διαφέρουσιν:

haec discrepat.

16. καὶ ἐν τοῖς ἔπεσιν:

et in omnibus epesi.

+ ἅπασι? Sed in hoc vocabulo addendo vel delendo interpretes multum sibi indulgent.

22. περὶ δὲ τραγῳδίας λέγωμεν:

om. Cod. Parisinus, sed agnoscit Avicenna.

Definitionis Tragicae versio Syriaca πρόκειται, quam nos integram vertemus:

[Quaestio Vicensima *Quid est Tragoedia?* Responsum: *dicit Aristoteles:*] *Tragoedia est imitatio actionis eximiae perfectae cui est magnitudo sermone iucundo absque una quaque specierum quae in partibus agunt;*

neque per pollicitationem sed per misericordiam et metum temperans passiones et faciens purgationem eorum qui patiuntur. Facitque hoc quidem sermo iucundus cui est magnitudo (corrige ex Arabe *rhythmus*) *et harmonia et melos; illud vero quod sine speciebus quod propter metra perficiuntur partes nonnullae*; *rursus alias quod per melos dum recitant, efficiunt imitationem actionum.* [*Alii vero aiunt Tragoediam* naeniam *verti, Tragoedum vero appellari quod nonnunquam naenias scribat; quemadmodum scribit vir doctus:* Tragoediae idoneas esse lacrimas, Comoediae risum. *David autem citharoedus* Sancti Spiritus *appellatur Tragoedus, quod inter psallendum et citharissandum lamentatur quoque* v. c. lacrimis lectum meum humecto etc. (Ps. VI, 6). *Species vero s. partes Tragoediae sex sunt:* fabula, consuetudo, elocutiones, ingenium, spectaculum, numeri musici. *Quae sex species sic deducuntur secundum mentem Aristotelis ipsius*] *Necessario erit pars Tragoediae decor personae; tum inter haec opus musicum, et elocutio; his enim faciunt imitationem. Dico autem elocutionem quidem ipsam compositionem metrorum: opus musicum vim apertam quam tota possidet. Quoniam imitatio actionum est, agitur vero ab hominibus agentibus iis quos necessitas cogat ut quales homines sint consuetudinibus suis et ingeniis; per enim haec etiam narrationes esse dicimus quales; [et] naturā aptae quae existant duae causae ipsarum narrationum, ingenium et consuetudo sunt; secundum enim haec eae quoque inveniuntur scopum attingentes omnes per haec et a scopo aberrantes. Est autem fabula narrationis imitatio. Dico autem fabulam*

compositionem actionum; consuetudines vero, qualis quisque eorum qui narrant sit et dicatur; qui se tales esse ostendunt ingeniis suis, et talem esse opinionem suam apparet. Necesse est ergo ut sint unicuique Tragoediae partes sex, quas supra diximus; secundum vim ipsam Tragoediae.

30. ἔνια μόνον:

Fort. ἔνια μόρια.

1450 a 5. λέγω γὰρ μῦθον τοῦτον:

τοῦτον om. Syrus, sicut delevit Christius.

12. τούτοις μὲν οὖν οὐκ ὀλίγοι αὐτῶν ὡς εἰπεῖν κέχρηνται τοῖς εἴδεσιν:

haec sunt quae usurpant, nam usurpantur species hae omnino [ad verb. *quomodo cunque res se habet*].

Fort. τούτοις μὲν οὖν πάντως; et delenda ὡς εἰπεῖν οὐκ ὀλίγοις αὐτῶν tamquam emblema.

17. ἀλλὰ πράξεως καὶ βίου καὶ εὐδαιμονίας καὶ ἡ κακοδαιμονία ἐν πράξει ἐστίν:

sed in operibus et vita. Et <vita> est in opere.

Fort. ἀλλὰ πράξεως καὶ βίου. ὁ δὲ βίος. Cfr. Avicenna ٩٥, 12.

26. καὶ ὅλως ποιηταὶ πολλοὶ τοιοῦτοι:

et in summa poetae reliqui sunt tales.

Legit Avicenna *poetae ultimi* h. e. recentissimus quisque.

29. ῥήσεις ἠθικὰς καὶ λέξεις καὶ διανοίας:

sermonem aliquem in (de) fide et elocutione et intellectu.

Potest stabilire emendationem Vahlenianam.

30. <οὐ ins. apogr.> ποιήσει ὃ ἦν τῆς τραγῳδίας ἔργον:

nequaquam continget illi ut faciat quod antea erat opus tragoediae.

Fort. οὐδαμῶς potius quam οὐ.

1450b 8. ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν ὁποῖά τις ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον ἢ προαιρεῖται ἢ φεύγει:

quae indicat voluntatem, qualis illa.

ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν, ὁποία τις.

Reliquis verbis, ut opinor, non aegre carebimus.

16. τῶν δὲ λοιπῶν πέντε:

horum autem reliquorum.

πέντε delebat etiam Christius.

18. ὡς γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις:

quia vis Tragoediae.

Confirmare videtur emendationem ἡ γάρ. Nam si licuisset errare, interpres noster non verum invenisset.

39. ἐγγὺς τοῦ ἀναισθήτου χρόνου:

sic.

1451a 6. τοῦ μήκους ὅρος μὲν πρὸς τοὺς ἀγῶνας καὶ τὴν αἴσθησιν:

quod attinet longitudinem ipsam, terminus eius secundum certamen et sensum.

⟨αὐτοῦ δὲ⟩ τοῦ μήκους ὅρος ὁ μέν?

7. εἰ γὰρ ἔδει ἑκατὸν τραγῳδίας ἀγωνίζεσθαι, πρὸς κλεψύδρας ἂν ἠγωνίζοντο, ὥσπερ ποτὲ καὶ ἄλλοτέ φασιν:

si enim oportuisset unumquemque hominem decertare tragoedia [*circa tres horas aquae*] **adhibuisset certamen clepsydram, sicut solemus dicere etiam aliquo tempore et aliquando.**

ἕκαστον pro ἑκατόν nemo facile recipiendum ducet.

Non irritam esse M. Schmidtii coniecturam *εἰώθασιν* ostendunt ultima verba (*λέγειν εἰώθαμεν* 'quemadmodum etiam alias h. e. in foro dicere solemus'?).

28. *ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν οἵαν λέγοιμεν τὴν Ὀδύσσειαν συνέστησεν:*

sed composuit eam spectando in ea versus actionem unam, quae est quae nominatur Odyssea, relata ad Ulyxem.

οἵαν λέγοιμεν non videtur legisse. Nam formula 'quae nominatur' Graecis nominibus praeponi solet.

34. *διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον:*

ut corrumpatur et confundatur et conturbetur totum omnino.

Fort. *διαφθείρεσθαι.*

36. *οὕτω τὰ γενόμενα λέγειν:*

quae facta sunt, exempli gratia, non sunt operis poetici.

H. e. *οὐ τό* quod apographa praestant.

1451 b 1. *οὐ τῷ:*

οὕτω.

13. *διὰ τῶν εἰκότων:*

per ea quae necessaria sunt.

Fort. *διὰ τῶν ἀκαγκαίων.*

οὕτω:

nequaquam. Conf. supra.

1452 b 4. *αἱ μὲν θατέρου πρὸς ἕτερον:*

hominis ad socium suum.

ἑταῖρον ut videtur pro *ἕτερον.*

5. *ὅταν ᾖ δῆλος ἕτερος τίς ἐστιν.*

quando nota est illa res tantum.

9. *δύο μὲν οὖν τοῦ μύθου μέρη περὶ ταῦτ' ἐστί:*

hae quas indicavimus duae partes fabulae.

περί non videtur legisse; quod si deleverimus (iteratio autem e. q. e. *μέρη* censeri potest) locus facilior erit. Praeterea *τούτων δὲ περιπέτεια μὲν καὶ ἀναγνώρισις εἴρηται* OMITTIT; omissis nulla omnino difficultas relinquitur.

1453 a 5. *ἔλεος μέν:*

hic quidem.

Expectaram *ἀθέτησιν* RITTERI confirmatum iri; quod secus est.

19. *αἱ κάλλισται τραγῳδίαι:*

κάλλισται non vertit; hoc quoque deleverat CHRISTIUS, opinor, tamquam e v. 22 irrepsisset.

23. *διὸ καὶ οἱ Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντες τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνουσιν:*

quare errant qui dant Euripidi vitio.

τὸ αὐτό non videtur agnoscere, quo facile carebimus.

30. *σύστασις:*

sic.

33. *θεάτρων:*

sic diserte Arabs.

1453 b 23. *Κλυταιμνήστραν:*

femina appellata Clytemestra.

Hoc quoque accedat PAPPAGEORGIO.

36. *ἢ γὰρ πρᾶξαι ἀνάγκη ἢ μὴ καὶ εἰδότας ἢ μὴ εἰδότας:*

necesse est enim aut faciat aut non faciat, cum faciat autem ut faciat sciens aut inscius sed scire destinans praeterea aut scientibus aut insciis.

1454 a 17. *ἕξει δὲ ἦθος μέν, ἐὰν ὥσπερ ἐλέχθη ποιῇ*

φανερὸν ὁ λόγος ἢ ἡ πρᾶξις προαίρεσίν τινα ᾖ, χρηστὸν δὲ, ἐὰν χρηστήν:

et erit unumquodque eorum si verbum rei quae notior est affecerit per actionem fidem aliquo modo si haec fuerit ratio unius cuiusque consuetudinis; bonum autem et pulcrum si fuerit inventum.

Verba *si haec fuerit ratio unius cuiusque consuetudinis* possunt *ἥτις ἂν ᾖ* quod VAHLENUS supplevit repraesentare.

22. *ἔστιν γὰρ ἀνδρεῖον τὸ ἦθος ἀλλ' οὐχ ἁρμόττον γυναικὶ ἀνδρείαν ἢ δεινὴν εἶναι*:

consuetudo enim quae est virorum invenitur, tamen non convenit feminae ne ut appareat quidem in ea omnino.

Facile erat ita emendare Arabis orationem ut *ἔστιν γὰρ ἀνδρεία χρηστὸν ἦθος* consequereris, quod philosophus videtur velle dicere; et sic diserte Barhebraeus ١٣٠, 23 *quoniam consuetudo virilis bona quidem est, sed feminae non convenit.* Praeterea glossema non ineptum *τὸ ἀνδρείαν* ⟨*μᾶλλον*⟩ *ἢ δειλὴν εἶναι* ultro delet.

31. *ἐν τῇ Σκύλλῃ*:

super eam quae vocatur Scylla maritima.

+ *τῇ θαλαττίᾳ*?

37. *τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν*:

fines fabulae oportet occurrere illi et evenire ex ipsa consuetudine.

H. e. *ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ ἤθους*: parum recte.

1454b 2. *τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν*: [*ἁπλοῦν* A'].

de conversione navium.

4. ὅσα ὕστερον ἃ δεῖται:

Arabs om. ἅ.

23. τὰ δὲ ἐπίκτητα καὶ τούτων τὰ μὲν ἐν τῷ σώματι, οἷον οὐλαί, τὰ δὲ ἐκτός, τὰ περιδέραια καὶ οἷον ἐν τῇ Τυροῖ διὰ τῆς σκάφης:

alia acquisita, qualia sunt quae corripiuntur manu, vel imponuntur corpori, v. c. torques in collo, ensis in manu.

Lectu digna sunt quae Avicenna hinc effecit.

27. διὰ τῆς οὐλῆς:

pustula quae fuit in pede eius.

Homeri Syriaci fortasse meminerat.

31. οἷον Ὀρέστης ἐν τῇ Ἰφιγενείᾳ ἀνεγνώρισεν ὅτι Ὀρέστης, ἐκείνη μὲν γὰρ διὰ τῆς ἐπιστολῆς, ἐκεῖνος δὲ αὐτὸς λέγει ἃ βούλεται ὁ ποιητής, οὐχ ὁ μῦθος:

exemplum lătus est quod vocatur Iphigenia; ibi enim collegit Iphigenia esse Orestem, ea quidem epistola missa ad eum, hic autem eloquitur quae vult poeta, non fabula.

a. *Latus* prava est interpretatio Syriaci vocabuli satis triti, quod praepositionis *apud* vice fungitur; et hoc quidem loco corrector admovit manum, sed rem non confecit. Illud discimus, delendum esse in Graeco Ὀρέστης; nullis enim machinis Ὀρέστης ἀνεγνώρισεν ὅτι Ὀρέστης pulcram locutionem effeceris.

b. Quamquam hic nos Arabs deficit, tamen etiam ἀνεγνώρισεν ὅτι Ὀρέστης delenda esse censeo; quibus interpretatum esse aliquem ἐκείνη μὲν [ἣ μὲν?] suspicor, perperam illum quidem, cum ἀνεγνωρίσθη deberet.

Iam videndum est utrum Aristoteles sic scripsisse possit; δεύτεραι δὲ αἱ πεποιημέναι ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ [διὸ ἄτεχνοι

delevit Christius], οἷον ['Ορέστης] ἐν τῇ 'Ιφιγενείᾳ [ἀνεγνώρισεν ὅτι 'Ορέστης]· ἐκείνη μὲν γὰρ διὰ τῆς ἐπιστολῆς· 'Ορέστης δ' αὐτὸς λέγει κτλ.

35. διότι ἐγγύς:

quam ob causam fit vicinum.

διὸ ἐγγύς?

ἐξῆν γὰρ ἂν ἔνια καὶ ἐνεγκεῖν:

sed invenitur aliud quod ex tempore efferatur [vel *concidatur*] **secundum hanc sententiam.** (*Aliud* corruptum esse potest pro *aliquid*).

Hic nihil video. Levi emendatione *sed sunt alia quae necessaria sint* extorqueas; h. e. ἦν δ' ἔνια καὶ ἀνάγκῃ.

καὶ ἐν τῷ Σοφοκλέους Τηρεῖ ἡ τῆς κερκίδος φωνή:

haec sunt in eo quod dixit Sophocles se audiisse vocem radii contempti.

Eodem verbo ἀτιμαζομένους 1447a fin. reddit. Fort. τοιαύτη δ' ἐν τῷ Σοφοκλέους Τηρεῖ ἡ τῆς κερκίδος φωνὴ 'ἄτιμος'.

1455 a 14. ὁ μὲν γὰρ τὸ τόξον ἔφη γνώσεσθαι ὃ οὐχ ἑοράκει, τὸ δὲ ὡς δι' ἐκείνου ἀναγνωριοῦντος διὰ τούτου ποιῆσαι παραλογισμόν.

Nempe in arcum dixit non valere quemquam alium; id autem dixerat poeta et sermone qui allatus erat de illa re indicaverat de arcu ut sciret quod non vidisset; voce autem se per illum sciturum esse fiebat paralogismus.

Avicenna ١٠٦, 2: 'quemadmodum aiunt quendam tetendisse arcum eum quem nemo tendere posset'.

Multo plura legisse videtur quam nostri codices praebent; ὁ μὲν[a]) γὰρ τὸ τόξον ἔφη ἀδύνατον εἶναι ἄνδρα

a) Syrorum μέν et *de* et *quis* non nisi punctis distinguuntur.

ἄλλον· τοῦτο δ' ἤδη ἱκανῶς[a]) ἐμήνυσεν ὁ ποιητὴς περὶ τοῦ .... γνώσεσθαι ὃ οὐκ ἑοράκειν· τῷ δὲ ὡς δι' ἐκείνου ἀναγνωριοῦντος διὰ τούτου ποιῆσαι, παραλογισμός.

Noli suspicari me haec tanquam certa proferre, ac non potius prorsus incerta et dubia; illud tamen videre videor, poetam duas agnitiones usurpasse, alteram arcum ab uno solo tendendum, alteram vim qua nescio quis polleret res non visas agnoscendi; et spectatoribus quidem cum spes facta esset per arcum agnitionem factum iri, rem praeter opinionem cessisse; quamquam παραλογισμός qualis fuerit, expiscari nequeo. Praeterea nomen hominis excidisse videtur, τόξου ab Arabe inepte repetito.

17. τῆς ἐκπλήξεως γινομένης δι' εἰκότων:
omisit.

27. ὁ γὰρ Ἀμφιάραος ἐξ ἱεροῦ ἀνῄει, ὃ μὴ ὁρῶντα τὸν θεατὴν ἐλάνθανεν:

nam ille ascendit in eo quod dicitur illuc, tamquam ascenderet ex? ἱερῷ? h. e. e templo; non videns ille quidem; idque fallebat spectatorem.

Incidi in locum Analectorum Lagardii ubi per *templum* (Syriace) ἠρίον vertitur; haud scio an eadem medicina nostrum locum sanatura sit; quamquam ne sic quidem quid potissimum spectatoribus displicuerit, patet.

30. τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι οἱ δὲ ἐξεταστικοί εἰσι:
quia quod hos attinet, qui ex iis simplices sunt sunt pulcri (?).

---

a) Vide notam cr.

Verba certa ratione legere nequeo; quod si recte verti, verisimile est *simplices* ἐξεταστικοί repraesentare.

1455 b 1. τούς τε λόγους καὶ τοὺς πεποιημένους:

dico in verbis et fabulis factis.

9. ἀνεγνώρισεν:

agnovit sororem.

17. μακρὸς ὁ λόγος ἐστί:

sermo non est longus.

H. e. οὐ μακρός; cui nescio an posthabendum sit μικρός apographorum.

19. ἔτι δέ [ἐπεί A'].

item.

22. ἐπιθέμενος:

postquam splendide vicit.

32. καὶ ἡ τοῦ παιδίου λῆψις καὶ πάλιν ἡ αὐτῶν δὴ ἀπὸ τῆς αἰτιάσεως τοῦ θανάτου μέχρι τοῦ τέλους:

et raptus infantis, et ea quae patefecit, solntio autem est quod fiebat de Lynceo ad mortem et ad finem.

a. Supplementa Christii ἡ αὐτῶν δήλωσις, λύσις δέ confirmari videntur.

b. τοῦ Λυγκέως pro τῆς αἰτιάσεως?

1456 a 2. τὸ δὲ τέταρτον ὄης οἷον αἵ τε Φορκίδες καὶ Προμηθεύς:

quartum autem negotia Phorcidum et Prometheus quaeque iis dicta sunt. Cf. n. cr.

10. δεῖ δὲ ἄμφω ἀεὶ κροτεῖσθαι:

si prensarunt utrumque pariter (?).

Fort. διακρατεῖσθαι. Utique stabilitur Vahleni coniectura.

20. στοχάζονται ὧν βούλονται θαυμαστῶς:

argumentantur et agnoscunt veritatem harum rerum quas cupiunt et amant αἰνιγματικῶς.

22. ὁ σοφὸς μὲν μετὰ πονηρίας ἐξαπατηθῇ:

quum decipitur sapiens sicut Sisyphus cum malitia.

Ergo μέν non legit. Fortasse id omittere praestat quam cum Vahleno δέ post πονηρίας infercire.

24. ἔστιν δὲ τοῦτο εἰκός:

hoc est etiam probabile.

Fort. καὶ εἰκός.

28. τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ διδόμενα [ᾀδόμενα Madius] <οὐδὲν ins. Vahlenus> μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστί:

multis autem quae canuntur nihil inest aliud amplius quam fabula vel quam tragoedia.

Satis pueriliter; sed sic denique confirmantur

a. Coniectura Madii,

b. Coniectura Vahleni.

c. Offertur pro λοιποῖς πολλοῖς; quod equidem libenter acceperim ne tam leviter Aristoteles *reliquos poetas* damnet.

30. πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιούτου:

primus autem id incepit Agatho poeta.

Sc. τοῦ ποιητοῦ perperam, neque tamen frustra; nam haec corruptela hoc loco nomen *Agathonis* servavit, alias pro ἀγαθῶν sumpti.

31. ἢ ἐπεισόδιον ὅλον:

omisit.

32. περὶ μὲν τῶν ἄλλων ἠδ [ἤδη apogr.] εἴρηται:

de reliquis speciebus diximus.

Fort. περὶ τῶν ἄλλων εἰδέων.

36. καὶ τὸ λύειν:

om., ut videtur.

1456 b 7. τί γὰρ ἂν εἴη τοῦ λέγοντος ἔργον εἰ φανοῖτο ἡδέα [ᾗ δέοι VAHLEN] καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον:

quid enim foret opus eius qui sive loquitur sive apparent in eo voluptates neque tamen per orationem.

ἡδέα legit. [Fort. εἰ φαίνοιτο ἡ διάνοια.]

21. Quod coniecit SPENGEL verum ordinem esse ἄρθρον ὄνομα ῥῆμα, id confirmat Arabs.

23. πέφυκε συνετὴ γίγνεσθαι φωνή:

convenit compositae voci ut componatur.

συνθετή legit, sicut apographa.

26. ἔστι δὲ φωνῆεν μὲν ἄνευ προσβολῆς ἔχον φωνὴν ἀκουστήν:

nisi quod sonus qui fit sine percussione quae fit inter labra sive dentes sonus inarticulatus.

Conf. Averroem 31, 16.

36. καὶ γὰρ τὸ ΓΡ ἄνευ τοῦ Α συλλαβὴ καὶ μετὰ τοῦ Α οἷον τὸ ΓΡΑ:

nam Γ et Ρ sine Α non faciunt syllabam, quoniam tantum fiunt syllaba cum Α; sed ΓΡΑ syllaba.

Hinc ni fallor Graeca corriges; καὶ γὰρ τὸ ΓΡ οὐκ ἔστι συλλαβὴ, ἀλλὰ μετὰ τοῦ Α, οἷον τὸ ΓΡΑ.

38. σύνδεσμος δέ ἐστι φωνὴ ἄσημος ἣ οὔτε κωλύει οὔτε ποιεῖ φωνὴν μίαν σημαντικὴν ἐκ πλειόνων φωνῶν πεφυκυῖαν συντίθεσθαι καὶ ἐπὶ τῶν ἄκρων καὶ ἐπὶ τοῦ μέσου ἣν μὴ ἁρμόττει ἐν ἀρχῇ λόγου τιθέναι καθ' αὑτὸν, οἷον μέν· ἤ, τοί, δέ ἢ φωνὴ ἄσημος ἢ ἐκ πλειόνων μὲν φωνῶν, μιᾶς σημαντικῶν δὲ ποιεῖν πέφυκεν μίαν σημαντικὴν φωνήν:

coniunctio autem sonus est compositus non indicatus, sicut 'quidem', et 'nonne' (nam quod auditur ex iis non est indicatum) compositum e sonis compluribus qui indicant sonum vocabuli unius compositi non indicati.

Averroes 32, 14: "coniunctio est sonus compositus, non indicans per se, tamquam *et* copulativum, et *tum*, generaliter, particulae quibus partes sermonis inter se coniunguntur; dum collocantur aut in initio orationis sicut *quidem*, aut particulae condicionales quae nexum indicant, sicut *vel* et *quando*."

Incertus haereas utrum sua verba Averroes an Aristotelis referat. Quod *indicans* non *indicatus* habet, id, opinor, correctori codicis sui acceptum refert; nam cum Syriacum vocabulum utrumque significare posset, noster animi causa quod incommodum esset elegit.

a. *συνθετή* uterque legit; e versu 35 irrepserat, ni fallor.

b. Satis multa e Graecis delenda videntur; fecit initium Christius: *σύνδεσμος δέ ἐστι φωνὴ ἄσημος οἷον μεν η τοι δε ἢ ἐκ πλειόνων φωνῶν σημαντικῶν ποιεῖν πέφυκε μίαν σημαντικὴν φωνήν.*

c. Aliquid de loco particulae loquitur Averroes, cuius orationem mancam esse suspiceris.

1457 a 6. *ἄρθρον δ' ἐστὶ φωνὴ ἄσημος ἢ λόγου ἀρχὴν ἢ τέλος ἢ διορισμὸν δηλοῖ· οἷον τὸ φμι καὶ τὸ περὶ καὶ τὰ ἄλλα· ἢ φωνὴ ἄσημος ἣ οὔτε κωλύει οὔτε ποιεῖ φωνὴν μίαν σημαντικὴν ἐκ πλειόνων φωνῶν πεφυκυῖα τίθεσθαι καὶ ἐπὶ τῶν ἄκρων καὶ ἐπὶ τοῦ μέσου:*

articulus autem vocabulum est compositum non indicatum, sive initium orationis sive finem sive distinctionem

significans vel propter vel ἀλλά; dicitur quoque vocabulum compositum non indicatum quod nec prohibet nec facit sonum unum indicatum illum quem convenit componi e sonis compluribus et ad capita et in medio.

Nihil auxili in Averroe.

25. μέρος μέντοι ἀεὶ τὶ σημαῖνον ἕξει· οἷον ἐν τῷ βαδίζει Κλέων ὁ Κλεων:

pars sententiae indicans quid rei sit debet ei esse, sicut vocabulum κλέωνος in eo quod dicimus κλέωνος ingreditur.

τὶ σημαῖνον hic est σημαντικὸν οὐσίας; legit τί.

30. ὁ δὲ τοῦ ἀνθρώπου:

sed quod dicimus 'homo ingreditur'.

33. πλὴν οὐκ ἐν τῷ ὀνόματι σημαίνοντος καὶ ἀσήμου:

non tamen indicans in nomine.

Hoc quoque occupaverat Christius, sed meliori loco.

35. οἷα τὰ πολλὰ τῶν μεγαλειωτῶν οἷον Ἑρμοκαϊκόξανθος:

sicut multa de Massiliotis Ermocaicon Xanthus qui supplicabatur dominum caelorum.

Unde nobis Massiliotae? Quamquam nomen Massiliotae quem e Demosthene novimus Ζηνόθεμις ab hac ratione non abhorret. Sed monuit me vir egregius in nominibus Μασσαλιωτικῶν debuisse dici; quae Syri potest esse ἀνακρίβεια. *Dominus caelorum* Syriace vocatur Iuppiter.

1457 b 2. ἐπεκτεταμένον:

omisit.

6. ἡμῖν δὲ γλῶττα sequitur: **δόρυ vero nobis proprium, populo autem glossa.**

Scire velim cuinam populo vox δόρυ glossa sit.

35. τὰ κέρατα ἔρνυγες:

quod nuncupavit cornua crescentia.

1458a 9. εἰς τὸ Ν καὶ Ρ ⟨καὶ Σ Riccard 16, Madius.⟩

\+ καὶ τὸ σίγμα τὸ Ἰωνικόν.

16. εἰς δὲ τὸ Υ πέντε, τὰ δὲ μεταξὺ εἰς ταῦτα καὶ Ν καὶ Σ:

in dal (lege *vāv* = Υ) **autem quinque**; sc. *δόρυ* . ? . **νᾶπυ γόνυ . . ? .; neutra vero desinunt in νῦ et Σ sicut δένδρον in νῦ, πάθος in σίγμα.**

27. κατὰ μὲν· οὖν τὴν τῶν ⟨κυρίων add. Castelvetro⟩ ὀνομάτων σύνθεσιν:

et secundum quidem reliqua nomina non potest fieri hoc.

\+ ἄλλων?

31. δεῖ ἄρα κεκρίσθαι [κεκρᾶσθαι Madius]:

si miscentur haec.

1458b 8. ἐκτείνειν ἐφ' ὅσον βούλεται:

producebat quod volebat cupiebat producere et corripiebat ubi volebat.

Hoc emblema est. Nam licentia corripiendi multo rarior, neque in exemplis quae secuntur tangitur.

9. ἤτει χάριν: [Ἐπίχαριν Tyrwhitt.]

appellatum cum favore.

Sc. ἐπὶ χάριν.

10. οὐκ ἄν γ' ἐράμενος τὸν ἐκείνου ἐλλέβορον:

Arabica verba hic admodum difficilia sunt ad legendum, partim vitio chartae;

neque item (haec certa sunt) **glociebas** (?) **pipilabas illud**; sed succurrit illud *glociebas* posse corruptelam

1461 b 9. *ὅλως δὲ τὸ ἀδύνατον μὲν πρὸς τὴν ποίησιν ἢ πρὸς τὸ βέλτιον ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνάγειν· πρός τε γὰρ τὴν ποίησιν αἱρετώτερον πιθανὸν ἀδύνατον ἢ ἀπίθανον καὶ δυνατὸν τοιούτους εἶναι οἷον Ζεῦξις ἔγραφεν ἀλλὰ βέλτιον:*

Oportet autem fieri relationem horum ad poesin, (dico possibilium) magis quam impossibilitatem relationis eorum ad melius, et magis quam relationem eorum ad inopiam; nempe apud artem rogatius est probabile et impossibile; fortasse enim impossibile est fieri sicut illa quae sunt sicut fecit Zeuxis, sed qui bonus est augebit et superabit exemplar.

Rem paene confecit Vahlen: debebat fortasse *ἴσως δ' ἀδύνατον τοιούτους εἶναι.*

16. *τὰ δ' ὑπεναντία ὡς εἰρημένα:*

quae dicta sunt in modum contrarii.

H. e. *τὰ ὑπεναντίως εἰρημένα* quod occupavit Twining.

34. *ὡς λίαν γὰρ ὑπερβάλλοντα πίθηκον ὁ Μυννίσκος τὸν Καλλιππίδην ἐκάλει:*

Quum verbo rariore in *simio* utatur interpres, coniecturam mihi suggessit primo obtutu, quam postea sensi falsam esse, neque tamen premendam. Καλλίαν e Photio et Hesychio scimus Atticum nomen simiae fuisse. Conf. Böckh ad Pindari Pyth. II v. 72. Mihi multo facetius Καλλίαν Καλλιππίδην vocaturus fuisse videtur Mynniscus quam *πίθηκον*; quamvis illud non legerit Syrus, tamen coniecerim Aristotelem Καλλίαν dedisse, illud per *πίθηκον* interpretatos Grammaticos.

III.

Specimen Versionis Latinae Poetices Avicennae.

[P. ᴧ.] Nomine Dei Misericordis Clementis, cuius opem imploro, auxilio nitor: incipit Caput IX Libri I qui est de *Logica*.

CAPUT PRIMUM.

De Poetica universe, deque classibus figurarum Poeticarum, et classibus carminum Graecorum.

Ponamus ipsi principio poesin esse sermonem imaginantem, compositum ex vocibus emmetris, aequabilibus, apud Arabes etiam homoeoteleutis; emmetria vero eorum in eo constat, quod numerum habent rhythmicum; aequabilitas in eo quod constat unaquaeque vox vocibus errhythmis, ut numeros inter se pares habeant; homoeoteleuton in eo, quod in eandem literam omnes desinunt. Logicus vero nullam partem huius rei investigare debet, praeterquam quod sermo imaginans est; metrum enim proprie quidem et universe investigabit Musicus, particulatim vero et populatim Metricus; homoeoteleuton, qui illam disciplinam tenet. Logicus poesin tantum quatenus imaginans est sermo

